

Universitätsbibliothek Wuppertal

**PLVTARCHI||CHAERONENSIS,|| SVMMI PHILOSOPHI|| &
Historici,|| VITAE PARALLELAE,|| seu Comparatæ,||**

Cui subiecti sunt Indices tres ... ad commodum lectoris summa diligentia
confecti

Plutarchus

Francoforti ad Mœnum, 1592

Antonius

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-360](#)

in Cynda nimirum subtiliter verterunt. quasi vero Cilices barbari, non barbara etiam locorum nomina retinuerint. Quae paucis post versibus de Cilicia, Tyro, Sidone, & cetera referuntur, plane diuerso sensu protulit Donatus.

10 Apud Dium.] In Graeco, ταῦται δινον, Donatus Diū, ; Amiotus nescio quale Demon. Ego qui Diū esse Macedoniam urbem infra Pydnam in ora maritima sinus Thermaici & scirem, & omnibus eruditis cognitum putarem, facile id cum Donato reposui. Verum ille corrector ne nihil diceret, praeclare meritum se & de autore & de interprete & de lecto- 10 ribus putauit, si annotaret διονυρbem esse Euboea, ex Stephanu & Strabone, apposite scilicet: quasi unicum tantum Diū Stephanus & alij Geographi non assent. Sed erat omnino talis, quicunq; fuit, ut libenter fumos venderet.

11 Quae à Sapphone describuntur.] In nobilissima 15 illa oda (nisi vehementer fallor) quam insignis venustas in iuria edacitatiq; temporum exemptam, nostro quoq; tempore in lucem retulit, & quam Catullus Sapphico versu elegantissime depinxit. Extat impressa cum Anacreontis reliquias, & Dionysio Longino, & Mureti in Catullum com- 20 mentario.

12 Euripidis versus.] De Bacchis sunt desumpti.

PLUTARCHI ANTONIVS, GVI-
lielmo Xylandro, Augustano,
interprete.

25

Genus.

ANTONIUS fuit Antonius orator, quem, quod Syllanarum fuisset partium, Marius necauit. Pater Antonius cognomento Creticus, 30 2 non admodum nobilis in repub. vir, neque illustris, benignus tamen, atque apprime liberalis: quod ex hoc etiam uno eius facto potest intelligi. Cum esset nō amplis prædictus facultatibus, eamq; ob causam ab uxore prohibetur, ne sua liberalitate ex animi sententia veteretur, & 35 amicus ad eum pecunia causa petendæ accessisset, pecunia defi-

deficiente, mandauit puerō vti aquam in argenteo scypho
afferret, atq; ea genas abluit, tanquam barbam tonsurū:
puero aut̄ alterius negotiū causa digresso, scyphum amico
tradidit, eoq; vti iussit. Ut verò scyphum à seruis requiri, v-
s xoremq; indigne ferentem, & velle de singulis seruis quæ-
stione habita inquirere sensit, fassus est factū, veniamq; pe-
tit. Fuit ea Iulia, ex familia Cæsarū, nulli præstantissimaru-
eius temporis matronarū virtutis & pudicitiae laudibus in-
ferior. Ea Antonium educauit, & mortuo marito suo, Cor-
nelio Lentulo nupsit, quem Catilinariæ coniurationis fo-
cium Cicero interfecit. Hæc origo videtur vehementis ini-
micitia Antonij aduersus Ciceronem fuisse. Antonius qui-
dem ait, cadauer Lentuli non antè redditum suis, quam id
mater sua ab vxore Ciceronis impetrasset: verū id haud
dubie falsum est, cum nemo eorum quos tum Cicero sup-
plicio affecit, sepultura sit prohibitus. Antonij autem pue-
ricialem alioqui haud prae*institutam Curionis familiari-*
tas & consuetudo, veluti pestis quedam adorta, corruptisse
traditur: is enim homo voluptatis mancipium Antonium,
quo magis eum sibi obnoxium haberet, in potationes, scor-
tationes sumptusque graues & luxuriosos coniecit, adeo ut
præter ætatis rationem, grauem æris alieni summam, nem-
pe sexagies festertiū, conflauerit. Id totum cum Curio pa-
ter filium suum intercessisse pro eo sentiret, domo Antoniu-
m eiecit. Ex eo Antonius aliquādiu Clodium sectatus, qui in-
ter popularis auræ capitatores audacissimus atq; impurissi-
mus magno omnia tumultu miscerat: mox furoris eius fa-
tietate correptus, metueniq; sibi ab iis qui in Clodium cō-
spirabāt, ex Italia in Græcia abiit. Ibi & corpus ad militares
labores, & linguam ad dicendum exercitationibus instru-
xit: æmularat est autem Asiaticum dicendi genus, maxi-
metum florens, vitæque eius fastuosa & inflata, ac ina-
ni elatione, inconstantique ambitione plenæ consentaneum.
Cùm verò Gabinius eum vir consularis in Syriam
nauigans hortaretur, vti secum eō proficiceretur, præfe-
ctus equitatui (priuatus enim sequi solebat) vnā iuit: mis-
susq; primū contra Aristobolum Iudeos ad defectionem
pertrahētem, primus omnium castellum validissimum con-
scendit, ipsum verò omnibus munitionibus expulit: de-
inde prælio congressus ingentes hostium copias parua

*Cansaini-
micitiaris
cum Cice-
rone.*

Curio.

*Studia Anto-
nij in
Gracia.*

*Gefrain
Syria.*

suorum manu fudit, ac prope ad internectionem cecidit: ipsum Aristobulum cum filio cepit. Secundum hæc Gabiniū Prolemæus decem millibus talentorum promissis orat, vt si se in regnum Ægypti reducat. Ibi cum pleriq; ducū repugnarent, & ipse etiam Gabinius, quanquam tam grandi mercede plane captus, cunctaretur bellum suscipere, Antonius magnarum rerum, ac Ptolemæo gratificandi cupidus, eum hortando instandoq; impulit. Difficiliorum i-
 pso bello videbatur profectio ad Pelusium, cùm esset iter faciendum per profundam arenam & aquæ experia loca, iuxta eruptionem & paludes Scorpionis: quem locum Ægyptij Typhonis expirationes nominant: videtur autem esse refluxus & excolatio rubri maris, quā id à mediterra-
 neo mari breuissimo diuiditur isthmo. Missus cum equita-
 tu Antonius, non angustias modò occupauit: sed & Pelu-
 sio, vrbchād parua, capto, & quod ibi erat præsidio, tu-
 tum exercitui iter, imperatori certam victoriæ spem præ-
 buit. Hostibus quoque eius studium laudis profuit. Cùm e-
 nim Ptolemæus Pelusium ingressus, ira & odio indulgere,
 ac necare Ægyptios vellet, ab Antonio est prohibitus. Obi-
 uit autem multas pugnas, ac difficilia certamina, in quibus
 multa audacia, multa prudentia eius, quæ in duce requiri-
 tur, documenta edidit: atque eo potissimum, quod circum-
 uentis à tergo hostibus iis, qui à fronte pugnabant victo-
 riā pararet: itaq; præmia & honores dignos adeptus est. 25
 Neque eius in mortuum Archelaum humanitas multitudinem
 sefelli: quem cùm olim familiarem suum atque ho-
 spitem inuitus viuentem oppugnasset, cadaver in pugna
 cæsi inuentum regio ornatus sepelit. His factis & apud Ale-
 xandrinos magnam sui famam reliquit, & summum no-
 minis sui splendorem apud Romanos milites paravit. Inc-
 erat ei in vultu etiam liberalis dignitas, ac barba non inde-
 cens, faciesque lata: & nasi aduncitas videbatur masculam
 oris formam, qualis Herculis pingitur atq; singitur, expri-
 mere. Rumor verò etiam antiquus tenebat, Antonios ab 35
 Hercule genus trahere, prognatos ab eius filio Anteone:
 quem ille rumorem videbatur & figura corporis & habitu
 confirmare. Nam quoties in conspectum multitudinis es-
 set proditus, tunicam ad femur cingulo adstringebat, sa-
 go denso velabatur, & magno gladio se accingebat. Quin
 & il-

Humanitas.

Forma.

& illa, quæ intolerabilia aliâs videntur, iactantia, dicacitas,
vinolentia, comedéntibus assidere, stantem ad mensam mi-
litarem manducare, mirum in modum apud milites eum
commendabant. Non inuenisti etiam amores eius erant,
5 quibus ipsis multorum sibi conciliabat animos, amâtibus
operam nauans, iocosq; de suis amoribus non iniucunde
audiens. Liberalitas autem eius in milites amicosque, cùm
initium potentiae eius validum fuit, tum eandem auctam
diu confâruavit, innumeris aliis peccatis subuersam. Vnum
10 munificentia eius exemplum referam. Cuidam amicorum
dari decies seftertiûm iusserat: mirante procuratore, vtque
doni magnitudinem ostenderet, in medium pecuniam de-
ponente, Quid hoc, inquit, rei est? illo respondentे, eam
esse pecuniam, quam dari amico iussisset: intelligens eius
15 malignitatem, Parum est, ait, hoc, & minus quam putas-
sem: adde igitur tantundem. Verum hoc postmodo. Postea-
quam Româ de repub. disceptari cœptum est, optimatibus
se Pompeio, qui tum ad yrbum erat adiungentibus, popula-
ribus Cæsarem, qui in Gallia cum exercitu erat, vocantibus,
20 Curio Antonij amicus mutato priore consilio Cæsar is cau-
sam fouens, Antonium sibi adscivit: vtque multum dicen-
do apud vulgus, & Cæsare suppeditante largitionibus plu-
rimum poterat, effecit vt Antonius primum tribunus ple-
bis, inde augur fieret. Antonius simul atque tribunatum
25 accepit, plurimum Cæsaris factioni auxilij tulit. Primum
Marcello consuli, milites iam contractos Pompeio traden-
ti, potestatemque scribendorum aliorum concedenti re-
stitut, rogatione lata, vt collectus iam exercitus in Syriam
nauigaret, Bibuloque bellum cum Parthis gerenti subue-
30 niret: cæteri qui conducerentur, Pompeio dicto audientes
ne essent. Deinde cum Cæsaris literas recitari in senatu Pô-
peiani non sinerent, ipse (nam muneris sui ratione poterat)
eas recitauit, multorumque animos Cæsari conciliauit,
quod moderata & iusta petere is videbatur. Denique dua-
35 bus in senatu propositis quæstionibus, vna an Pompeio, al-
tera, an Cæsari esset dimittendus exercitus, cum pauci illi-
lum, hunc omnes ab armis discedere iuberent: assurgens
Antonius sententias dicere iussit, simâlne utique dimit-
tendæ copiae essent. Hæc summo omnium assensu proba-
ta est quæstio: magnoque cum clamore laudantes Anto-

Munifi-
centia.

Tribunus
plebis Ca-
esar is cau-
sam fouet.

nium, suffragia ferri iubebant. Cùm repugnarent consules, rursum alias, & ipsas æquas proposuerunt conditiones, quibus & Caro se opposuit, & Lentulus consul Antonium Senatu exurbauit. Antonius multa in caput eorum exercitatus in discessu suo, seruilem habitum sumpsit: condu-
cta q; vñā cum Q. Cassio rheda meritaria, ad Cæsarem ab-
iit: atque vt primum in conspectum eius venere, magna vo-
ciferatione testati sunt, omnia Romæ confusa esse: ne tri-
bunis quidem plebis libertatem reliqta: in periculo esse
quicunque de iure mentionem faciat. Inde Cæsar cum ex-
ercitu in Italiam irrupit. Sed in Philippicis Cicero scribens,
Ciceronis mendacij. Helenam Troiani belli, Antonium ciuilis principium fu-
isse, splendide mentitur. Non enim ita leuis fuit C. Cæsar,
neque tam facile à sano consilio dimoueri se passus fuit, vt
nisi iam pridem ita decreuisset, bellum subito patriæ illa-
turus fuerit, quod indigno habitu, & rheda meritoria ad
se profugientes Antonium & Cassium vidisset. Verùm hæc
ei iam dudum occasionem captanti prætextum facti sui
honestum præbuerunt. Rapiebat autem eum aduersus o-
mnes homines, sicut & Alexandrum antè, & antiquitus 20
Cyrum, insatiabilis dominandi amor, & insana primi lo-
ci summaque potentiae cupiditas, qua adipisci nisi euer-
so Pompeio non poterat Cæsar. Ergo vt profigato ex Ita-
lia Pompeio Rómanam tenuit, profecturus in Hispaniam
primum ad Pompeianas ibi copias expugnandas, ac dein- 25
de parata classe Pompeium petiturus, Lepido prætori Ro-
manam, Antonio tribuno plebis Italianam & exercitus com-
misit. Militibus statim vñā viuens, iisdemque exercitatio-
nibus vtens crebrò, & pro suis facultatibus dona dans,
acceptissimus fuit Antonius, reliquis molestissimus. Nam 30
& iniurias eorum negligebat, & iratum se compellantibus exhibebat, & propter adulteria male audiebat: at-
que omnino Cæsaris dominationem, quæ, quantum e-
ius in Cæsare erat, quiduis potius quam tyrannis pote-
rat dici, inuisam amici efficiebat, ac præcipue Antonius, 35
qui ob summam potentiam plurimum etiam peccare vide-
batur. Reuersus ex Hispania Cæsar, crimina obiecta ei dissimulauit: strenuo autem, forti, prudenti q; eo dace toto isto
bello usus est. Nam cum à Brundusio mare Ionium tra-
cisset, & retrò naues misisset, vt Gabinius & Antonius co-
pias

*Antony
importu-
piles.*

pias iis impositas quam primum in Macedoniam transpor- *Gesta bel.*
 tarent, Gabinio nauigationis periculum (hyems enim tum *locus nullus.*
 erat) reformidante, atque exercitum longo itinere circum-
 ducente, Antonius Cæsari multis hostibus circumda-
 to metuens, Libonem primū, qui portus fauces obside-
 bat, repulit, cum eius triremes multis paruis scaphis arcuif-
 set. Inde impositis in naues octingentis equitibus, & XX.
 peditum millibus, transmisit. Cum verò eum hostes con-
 spicati persequerentur, validus Auster increbuit: magnoq;
 10 fluctu excitato apud eorum naues, & mari exagitato, peri-
 culum auertit: verùm cieetus cum classe ad scopulos abru-
 ptos & profundos sinus, in summa desperatione salutis fuit.
 Hic subito vehemens è sinu Africus erupit, fluctusq; à terra
 in mare propulit, ita ut in altum prouectus Antonius in lit-
 15 tore naufragia multa consiperet: eò enim ventus trite-
 mes hostium insequentium impegerat, & plerasq; attruer-
 at. Antonius multis in suam potestatem hominibus & o-
 pibus redactis, Lissum cepit: atq; opportune cum magnis
 copiis aduectus, magnam rebus Cæsaris fiduciam addidit.
 20 Multa proinde & continentia fuerunt inter Cæsarem &
 Pompeium commissa certamina: in quibus omnibus spe-
 ctata fuit virtus Antonij. Bis idem fugientibus Cæsarianis
 occurrens, eos vt in hostem se conuerterent impulit, amiss-
 samq; victoriam recuperauit. Itaque secundum Cæsarem
 25 prima eius in castris fuit existimatio: atque ipse Cæsar satis
 ostendit, quantum ei tribueret, cum Pharsalico prælio
 (quo ultimo de summa rerum decretum est) dextrum cor-
 nu ipse ducens, Antonio, vt laude bellica suorum præstan-
 tissimo, sinistrum commisit. Ab ea victoria Cæsar dicta-
 30 tor dictus Pompeium insecurus est, Antonium verò magi-
 strum equitum Romam misit. * Est autem tribunicia po-
 testas proximæ post dictaturam dignitatis, dictatore præ-
 sente: eo enim absente, prima atque sola prope valet. Tri-
 buni enim plebis soli manent, cum quidem omnes alij ma-
 35 gistratus dictatore creato cessent. Ebinuerò ea tempesta-
 te Dolabella tribunus plebis, iuuenis & nouarum rerum
 cupidus, rogationem de nouis tabulis tulit, Antonium
 que amicum suum, & plebem aliàs demereri solitum, in so-
 cietatem eius rei pertraxit. Cum autem Asinius & Trebel-
 lius ad contrariū hortarentur, forte grauis Antonio incidit
 h h h 4 saſpi-

suspicio, vxoris suæ pudicitiam à Dolabellâ esse violatam.

Vxor Antonij. Quam rem ita grauiter tulit, vt & vxorem, tametsi consobrinam (filia enim fuit C. Antonij, quem in consulatu colle-

Contentio cum Dolabella. gam Cicero habuit) repudiaret, & Afinianæ factioni aduersus Dolabellam auxilium ferret: cumq; hic forum' occupaſ- ſet legis per vim perforendæ cauſa, & ſenatus armis eum cō- pereſcendum decreuifſet, in forum cum armatis progreſſus confixit: & quodam aduersar; partis hominum necauit;

Vitia.

nonnullos ſuorum amiſit. Hæc res eum multitudini inui- ſum reddidit. Bonis autem & honestis ciuibus vita eius mi- 10 nime probabatur, ſed (vt Cicero ait) odio habebatur. dete- ſtabantur enim intempeſtias eius ebrietates, intolerabi- le luxum, in luſtrisque eius obuerſationes, qui interdiu aut dormiret, aut crapula oppletus vagaretur: noctes co- mesando, ludicris ſpectaculis, & nuptiis mimorum ſcurra- 15 rumq; celebrandis exigeret. Memoriar; proditum eft, eum cum in Hippie mimi nuptiis totam noctem potaſſet, ma- ne à populo in concionem vocatum nondum concocta crapula, vomuſſe, quendam amicorum tunica id excepiſſe. Inter eos qui plurimum apud iſpum poſſent, Sergius fuī 20 mimus, & Cytheris ab eodem ludo muliercula dilecta: ille quidem, Antonio vrbes obeūte, in leētica ſerebatur comi- tatu haud minori, quam eius mater. Moleſta erant etiam ſpectacula aureorum poculorum, quæ in profectionibus tanquam ſacrī pompis circūferebantur: ſicut & hæc, quod 25 in itineribus tabernaçula conſtituebantur, iuxta lucos & flumios prandia ingenti ſumptu apparabantur, leones cur- ribus iungabantur, pudicorum virorum & honeſtarum mulierum ædes ſcortorum & mimorum diuerſorū deſigna- bantur. indiguum verò videbatur, dum Cæſar extra Italiam 30 magni bellī reliquias magnis & laboribus & periculis con- ſiceret, interim alios ipſo fretos ciuibus per laſciuiam & li- bidinem ſuam iuſtare. Hæc & auxiſſe ſeditionem, & mi- litibus prauarum cupiditatū ac facinorum occaſionem 35 præbuſſe videntur. Itaque reuertiſſus Cæſar Dolabellam culpa liberauit, ac tertium consul creatus, non Antonium, ſed Lepidum collegam aſſumpſit. Pompeij bona haſta ſubiecta cùm emiſſet Antonius, & precium poſſeretur, inique tulit: atque ipſe ait, ſe propterea in Africam cum Cæſare non profectum eſſe, quod nullum pro rebus antē præcla-

præclare à se gestis premium ab eo tulisset. Sane Cæsar eo,
 quod ad peccata eius non connueret, videtur magnam sto-
 litudinæ & luxuriam eius partem correxisse. Etenim vitæ ista
 ratione omissa, vxorem duxit Fuluiam, quæ prius cum Clo-
 dio trib. pleb. vixerat: mulierem non lanificio aut rei fami-
 liaris curationi deditam, neque contentam viro priuato do-
 minari, sed quæ imperatori imperare cuperet: adeoque Cle-
 opatra mercedem debuit Fuluiam, quod ea Antonium ad fe-
 renda mulierum imperia adiusecisset, domitumque & ci-
 curem sibi tradidisset. Hanc tamen per iocum & ludendo
 efficere hilariorem aliquāto conatus est: cuius rei cum sint
 multa exempla, unum recitabo. Inter multos qui Cæsari ex
 Hispania victori redeunti obuiam procedebat, ipse quoq;
 iuerat. Subito autem rumore in Italia coorto, hostes Cæsa-
 ri re vita functo aduentare, Romam reuersus, seruili veste no-
 ñtu ad ædes suas accessit, Fuluiæ se literas ab Antonio ad-
 ferre dicens: intromissus ad eam velato capite, cum vxor
 grauiter anxia, priusquam literas acciperet, viueretnq; An-
 tonius, percontaretur, tacitus epistolam protendit, incipi-
 entem autem aperire & legerē amplexus & deosculatus est.
 Cæterum Cæsar, cum ei ex Hispania (vti diximus) Romam
 repetenti primores ciuium ad multorum dierum iter occur-
 risserint, Antonio summum honorem detulit: secum enim e-
 um in suis bigis, quibus per Italiam vehebatur, habuit: po-
 ne sequebantur D. Brutus Albinus: & Octavius, sororis suæ
 filia natus, qui deinde Cæsar's nomen tenuit, & Romanis
 per multos annos imperauit. Quintum consul factus, sta-
 ttim Antonium collegam adscivit: statuit autem se magistra-
 tu abdicare, & eum Dolabellæ tradere, atque ea de re fena-
 tum monuit: Antonio autem grauiter repugnante, multis-
 que inter eum & Dolabellam iactatis mutuo conuictiis, tur-
 pitudine rei Cæsar offensus abiit. Rursum inde progressus
 ad designandum consulem Dolabellam, Antonio auspicia
 obliſſere clamante concessit, Dolabellamque ægre feren-
 tem dimisit. Et quidem videtur hunc non minus altero ab-
 ominatus fuīle. Fertur enim iis, qui vtrunq; simul ad ipsum
 deferebant, respondisse: crassos se istos & comatos non me-
 tuere, sed pallidos illos & tenues: Cassium indicans & Bru-
 tum, à quibus deinde est per insidias occisus. Quibus fane
 Antonius imprudens pulcherrimam ansam facinoris sui
 h h h 5 præbuit.

*Luperca-
lib. diade-
ma Cæsari
offert.*
 præbuit. Lupercalibus enim cum Cæsar triumphali veste in
 tribunali sed erit in foro, & Lupercos spectaret (decurrunt
 autem multi nobilium iuuenum, & nonnulli etiam magi-
 stratus, oleo vñcti, albisque scuticis per lusum obuios per-
 cutiunt) Antonius, & ipse vñus Lupercorum, iusso valere 5
 antiquo more, diadema laureo ferto circumplacatum te-
 nens ad tribunal accurrit: elatusque à comitibus, Cæsaris
 id capiti imposuit, indicans regnum ei deberi. Cæsare au-
 tem ludente, ac caput delectente populus gaudio affectus,
 plausum sustulit: tursumque Antonius fætum admovit, 10
 Cæsar repulit, estque ita aliquantis per inter eos certatum,
 applaudentibus Antonio cum niteretur diadema impone-
 re paucis amicis, Cæsari reluctanti vniuerso magna cum
 vociferatione populo. Et mirum sane erat eos, cum re vera
 regi parerent, nomen regis, veluti abolitionem liberta-
 tis, fugere. Tandem indignatus Cæsar de tribunali de-
 gressus est, reducetque à collo veste iugulum se præbere
 volentibus occidere clamauit. Coronam autem vni statua-
 rum eius impositam quidam tribuni plebis detraxerunt,
 quos multitudo collaudauit, cumque plausu deduxit: Cæ- 15
 sar autem magistratu eos deiecit. Hæc animos Brutii &
 Cassij, sociorumque confirmauerunt: delectisque ad socie-
 tatem facinoris amicis fidelibus cum de Antonio delibe-
 rarent, reliquis eum adsciscendum censemib, Trebonius
 contradixit: scilicet, quo tempore Cæsari ex Hispania redeun- 20
 ti occursum fuisset, cum Antonio comite itineris & con-
 tubernali vteretur, ad idem factum, tametsi sensim & cau-
 te, animum adiunxisse: id intellexisse Antonium, non ta-
 men ad sensisse: neque vero rem Cæsari indicasse, sed fideli
 silentio texisse. Rursum inde vna cum Cæsare trucidandi 25
 Antonij consilium agitatum, cui Brutus obstitit: cupiens
 id facinus, quod propter leges & iusticiam perpetrandum
 esset, sincerum & omnis iniuriæ purum esse. Antonij autem
 robur, & maiestatem magistratus metuentes, quosdam
 coniuratorum eo destinant, vt Cæsare in senatum ingre- 30
 so, dum cædes eius perageretur, ipsi foris Antonium collo-
 quendo studiose detinerent. His ita vii compositum fue-
 rat actis, cæsoque in senatu Cæsare, Antonius statim serui-
 li sumpta veste fæse abdidit: post cum percussores nemiae
 cuiquam manus afferre, sed in Capitolium conuenisse au- 35
 diret,

dixerat, filio suo obside dato persuasit eis, uti descenderent: &
 ea nocte cœnam ipse Cassio, Bruto Lepidus præbuit. Con- *Acta eius*
 uocato inde senatu, de memoria omnium discordiarū ob- *Cæsare*-
 liuione sempiterna delenda, dandisque Bruto & Cassio ac *re*.
 5 sociis eorum prouinciis retulit. Senatus decretum ex eius
 sententia fecit, idque etiam, ut nihil actorum Cæsaris re-
 scinderetur. Omnim eo die splendidissimus hominum se-
 natu exit Antonius, qui ciuile bellum fustulisse, & rebus
 difficilimis ac perturbatissimis prudentissime ac ciuilissi-
 me consuluſle putaretur. Verum his eum consiliis statim
 excusſit popularis opinio, ut speraret se Bruto opppresso pri-
 mum porro in vrbe citra controuersiam futurum. Forte fu-
 nebrem de Cæſare habebat pro more orationem, cum eius
 funus in foro duceretur. Ibi cum populum duci ac magno-
 pere delectari cerneret, iis quæ ad mouendos faciunt affe-
 tus, laudibus viri admixtis, misericordiam concitauit: fa-
 etumq; exaggerans, ad extreum vestes mortui cruentatas
 & gladiis laceratas extulit, autoresque cædis eius nefarios
 atque patricidas appellauit. Quibus ita iram populi excita-
 uit, ut congestis subselliiſ & mentis, corpus Cæsaris in fo-
 ro cremauerint, facibusque à rogo raptis ad oppugnandas
 percussorum eius ædes accurrerint: quo factum est ut Bru-
 tus cum sociis vrbe excederent. Statim vero amici Cæsaris
 le Antonio coniunxerunt: vxorque illius Calpurnia maxi-
 25 mam pecunia partem apud eum depositu, ad nongenties
 sexagies ſeftertiū. Libellos etiam Cæſaris Antonius ac-
 cepit, in quibus conſcripta erant, quæ is agere decreuiffet:
 quibus hic multa pro ſuo arbitrio adſcribens, nonnullos
 magistratus, multos senatores conſtituit: quosdam etiam
 30 exules reuocauit, & in carcere detentos ſoluit, ita Cæſarem
 de his ſtatuisse prætendens. Hos vniuersos Romani perio-
 cum Charonitas appellabant, quod reprehensi commen-
 tariis defuncti Cæſaris ſe tutabantur. Cætera quoque pro
 imperio egit Antonius, consul ipſe, & qui ex fratribus Ca-
 35 ſum prætorem, Lucium tribunum plebis ſocios haberet.
 Hoc rerum ſtatu Iunior Cæſar (quem ſororis Cæſaris filia
 natum diximus) Appollonia (ibi enim eo tempore egerat,
 quo Cæſar eſt interfectus) Romam venit, iuſtitutus à Cæſa-
 re facultatum hæres. Is Antonium, quippe amicum pater-
 num, ſtatim adiit, ſalutatumque deponiti admonuit; nā te-
 ſtamen-

Contra O-
Et auſanū,

stamento Cæsar is iubebatur viritim Romanis trecentos nummos diuidere. Verum Antonius initio eum, vt pote adolescentem, spernens, infanire dicebat, & à recta ratione, amicisque bonis in opem esse, qui hæreditatem Cæsar is, onus intolerabile in se recipere cuperet: post cum ille pergeret pecunias reposcere, multis & dictis & factis contumelio habuit, nam & tribunatum plebis petenti oblitus, & auream patri sellam ex decreto ponenti minatus est, se eum in carcерem conditum, nisi finem populum sibi conciliandi fecisler. Sed postquam Ciceroni se commisit adolescentis, reliquisque Antonij inimicis, ac eorum opera senatus commendatus est, & milites ex coloniis conduxit: periculum veritus Antonius cum eo in Capitolio collocutus est, & in gratiam rediit. Ea deinde nocte per quietem imaginatus est, dextram sibi fulmine istam: ac paucis post diebus rumor accidit, insidias ei à Cæsare parari. Cæsare autem frustra se purgare aggresso, exarserunt deuно inimicitiae: & vterque Italiam percarreus, milites iam in colonias deductos magna proposita mercede concitabant, & eos qui in armis adhuc erat, alter alteri præripiebant, sibi adiungebant. Cicero interim, cuius summa erat Romæ potentia, vniuersos homines aduersus Antonium irritans, tandem senatus persuasit, vt hostem eum iudicaret: ad Cæsarem lictores & prætoria insignia mitteret: Hircium & Pansam, tum consuad Mutines, ad profligandum Italia Antonium amandaret. Hi, vna nā Cæsarius. Cæsare prælente, cum Antonio apud Mutinam prælio congressi, victis hostibus ipsi occubuerunt. Antonium autem fugientem cum multæ difficultates, tum omnium grauissime fames premebat. Sed ita erat natura, vt rebus aduersis se ipsum plurimum præstaret, bonoque esset similimus. Est alioquin omnib. hoc commune, vt malis conflictati, virtutis recordentur: sed non omnium est, ea quæ probant iritari, aut fugere quæ improbant, rebus afflictis, eo quod nonnullorum animi præ imbecillitate concedunt, ac franguntur. Cæterum Antonius admirabile se militibus suis exemplum proposuit, qui ante tanto luxui adsuetus, nulla tum mole.

Vt Lepidi sīa aquam vitiatam biberet, agrestes fructus & radices co-exercitum mederet: corticem quoque, & animalia prius nunquam gustata vorasse cum suis in transitu Alpium fertur. Intendebat ad se trāversis, autem ad exercitum profici, qui trans Alpes cum Lepido erat

erat: hunc enim amicum suum rebatur, quod is ipsius præfertim opera amplissimos Cæsaris amicitiae fructus perceperisset. Eo cum peruenisset, ac castra proxime fecisset, neque tamen quicquam humaniter cum ipso Lepidus ageret; statuit extreum discriben subire. Itaq; pullo habitu, coma neglecta, barbaque propensa (vti iam tum à clade eam a-luerat) ad castra accessit, & dicere cœpit. Multis autem & aspectu eius fractis, & oratione motis, Lepidus sibi metuens tubis concini, ne exaudiri Antonij sermo posset, iussit. Autem hoc miserationem militum, & missis occulte meretricio amictu Lælio ac Clodio, audacter eum castra aggredi iusserunt. multos enim esse, qui & ipsum accipere, & si ita iubeat) Lepidum necare velint. Antonius Lepido vim afferri prohibuit: interdiu autem cum suis militib. amnem trânsire intendit, primusq; omnium vadum tentauit, & ad ulteriorem ripam duxit, multos iam Lepidi milites cernens manus sibi pretendere, & vallum rescindere. Ingressus in castrâ, & rerum potitus, Lepidum humanissime tractauit, patrem eum suum appellans, & cum reipsa solus omnia in sua potestate haberet, titulum ei imperatoris conseruans. Quo factum est, vt Munatius etiam Plancus, qui haud procul inde eum magnis copiis degebat, ei se coniungeret. Proinde viribus resumptis Alpibus iterum superatis, septendecim legiones peditum, & decem millia equitum ducens, relictis in Gallia sex cohortibus præsidij loco, cum Vario familiari suo & compotore, quem Cotylonem cognominabant. At Cæsar Cicerone, quem libertati intentum sentiret, omisso, Antonium opera amicorum ad pacificationem inuitauit. Conuentum est inter Cæsarem, Antonium & Lepidum in parua quadam insula, fluvio circumflua, & agitatum per tres dies consilium: & de reliquis omnibus facile consensum: vniuersumque Romanum imperium, veluti hæreditas paterna, diuisa: de voce autem certorum hominum inter eos diu controuersum non sine graui molestia fuit, cum singuli inimicos necare, amicos feruare cuperent. Tandem honorem propinquorum, & amicorum studium iræ suæ posthabentes, trucidandum Antonio Ciceronem Cæsar, Cæsari Antonius L. Cæsarem auunculum suum permisit: concessum est etiam Lepido, vt Paulum fratrem necaret: quidam eum ab illis ad supplicium postulatum, & à fratre concessum tradunt.

dunt. Neque existimo quicquam ea permutatione crudelius vñquam factum. cædes enim cædibus compensantes, & quos dabant, & quos recipiebant, interfecere: in amicos etiam maior fuit iniustitia, quibus ne odio quidem habitis mortem consciuerunt. Milites autem cum interessent huic, fœderi, voluerunt amicitiam istam nuptiis etiam confirmari, ita ut Cæsar Clodium Fulvia Antonij vxoris filiam duceret, id quoque pactum. Proinde trecentos isti triumviri proscriptos interfecerunt. Ciceronis occisi caput & manū, qua Philippicas scripsérat, amputari Antonius iussit, & ad se afferri: magnog; cum gaudio spectauit allata, ac cachinos sustulit: fatur inde eius spectaculi, in foro poni pro rostris iussit, quasi vero mortuum contumelia afficeret, & nō potius se fortuna per libidinem abuti, & contaminare potestiam ostenderet. Aunculus eius L. Cæsar, cum ad necem quereretur, ad sororem Antonij matrem cōfugit. Hæc instantibus percussoribus, & in ædes irrumperem entibus, in forib. adstans, manusq; expandens, identidem vociferata est. Non interficietis L. Cæarem, nisi me prius matrem imperatoris occideritis. Hoc illa pæsto morti fratrem subtraxit. Enimvero cum multis in rebus triumviratus iste molestus Romanis esset, maxime in culpa fuit Antonius, maior natu Cæsare, & Lepido potentior, & qui hac rerum mutatione ad pristinum illud dissolutum vivendi genus rediisset. Auxit communem infamiam priuatim odium, quod ei domus quam habitabat, excitauit, Pompeij quodam Magni, cui non minorem continentia, frugalisque & popularis vivendi ratio, quam tres triumphi admirationem pepererat. Stomachabantur enim, cum viderent istam domum plerunque ducib. & magistratibus & legatis occlusam, qui contumeliose etiam à foribus repellebantur: plenam autem mīmorum, præstigiatorum, & adulotorum ebriosorum, in quos maior pars pecuniae per vim & iniuriam summam partæ prodigeretur. Non enim facultates tantum proscriptorum vendebant, circumuentis calumnia propinquis eorum & vxoribus: neque omni exactionis genere contenti erant: sed & cum apud Vestales deposita ciuium ac peregrinorum asseruari bona cognouissent, ea abstulerunt. Cum Antonio nihil esset satis: postulauit Cæsar, vt secum pecuniam partiret. Copias etiam inter se diuiserunt, cum reliquo Ro-

Eo Romæ Lepido in Macedoniam contra Brutum & Cæsarium proficiscerentur. Quo simul atque peruererunt, & castra hostibus opposuerunt, itavt Cassio Antonius, Cæsar Bruto obiiceretur, nullum porro egregium Cæsaris extitit factum: tota victoriæ laus penes Antonium fuit. Prior enim prælio Cæsar à Bruto vicitus castra amiserat, & hostib. in sequentibus quin caperetur parum absuit. ipse in commē^{II} tariis scriptum reliquit, se amici in somnio moniti suasu ante pugnam se subduxisse. Antonius Cassium vicit: tametsi non desunt, qui ne interfuisse quidem Antonium prælio, sed fugientib. superuenisse scribant. Cassium Pindarus de fidelibus vnum libertis, iussus & exoratus interfecit, ignarum victoriæ Bruti. Paucis post diebus iterum est pugnatum, & Brutus vicitus sibi ipsi necem consciuit: Antonio maior pars laudis rei bene gestæ adscripta est, nimirum ægrotante tum Cæsare. Cadaueri autem Bruti adsistens, paucis verbis ei Caj Antonij fratri sui necem exprobavit, quem in Mace¹² donia Brutus Ciceronem vlciscens interfecera: Hortensium tamen potius quam Brutum eius cædis cauila culpan. dum addens, illum ad sepulcrum frattis. iugulauit: Bruti corpori puniceam vestem a se iniecit, magno emptam precio, ac suorum libertorum eidam negotium eius human-didedit: quem postea, cognito eum vestem funeri subduxisse, necauit. Secundum hæc Cæsar Romam aduectus est, ira morbo afflictus, vt vitam haud diu toleraturus videretur. Antonius autem pecunias exactum ab omnibus versus ortum Solis sitis prouinciis iuit. Quod enim militibus polliciti erant viritim vicena festertia, siebat vt grauiorib. & continentiorib. tributorum exactiōnib. opus haberent. Antonius ut numero cum exercitu in Græciam venit, initio non insolentem se, neque iniquum præbuit: quin & animi causa audiendis philosophis, spectandis certaminibus, & facrorum initiationibus, non sine laude vacauit: in iudiciis quoque æquitatem adhibebat, gaudebatque se amatorem Græcorum appellari, magisque etiam Atheniensium, quam ciuitatem amplis donis cumulauit. Megarenses vero ostentationem horum æmulati Antonium euocabant, orantes, vt ipsorum curiam contemplantetur. Quibus cum morem gesellset, interrogatus, quid ea ipsi videretur, Parua, inquit, & putida. Mensus est etiam Pythij tēplum, quod se ab-

exactio
 Asiaeca
 Antony,
 Egliuxus

se absolutorum senatu promiserat. Inde L. Censorino in Græcia relicto, in Asiam abiit. Hic diuitias Asiaticas cum gaudias & reges ad ipsum commarent, & reginæ muneribus ac forma certantes eum ambirent, Cæsare interim Romæ seditionibus & bellis vexato, ociosus ipse & in pace agens, ad pristinam luxuriam reuolutus est: & iam circa eum Anaxenor citharœdus, Xuthus tibicen, Methrodorus histrio, chorusque totus Asianæ musices confluebant, aulam que se fabantur, pestes istas Italicas procaci scurrilitate superantes. Itaque ergo omnibus eo conuersis, intolerabilis erat luxuria. Vniuersa enim Asia, veluti vrbs illa apud Sophaclem, erat

Repleta odoramenis & paanibus,

Clamoribusq;--

Nam cum Ephelum iniret, mulieres Baccharium, viri & pueri Satyrorum & Panum habitu præcedebant. hedera, thyrsis, psalteriis, fistulis vrbs plena erat: Bacchumque vniuersi eum Charidotam, & Milichium, hoc est, Bonorum datorum & benignum salutabant: fuit enim fortasse nonnullis talis, plerique autem Crudiouorum & Immanem (Omelastam nimirum & Agrionium) se præbebat: qui nobilib. hominibus erepta bona verberonibus & adulatoriis donodaret: qui multorum viuorum, tanquam si mortui essent, facultates petentibus largiretur, domum cuiusdam Magnesij ciuis coquo propter vnicam cœnam præclare paratam do- naret. Tandem cum alteram vrribus pensionem imperasset, ret, Hybreas pro Asia Antonio dicere ausus est, Si potes vno anno bis tributum accipere, duas etiam astatues, duos autumnos vno anno nobis efficere potes. forensi quidem hoc more, & æmulationi Antonij conuenienter dictum. Idem efficaciter iuxta & audacter, quod mentione facta ducen- ties mille talentorum, quæ Asia contulisset, addidit: Hæc si tu nō acceperisti, ab iis reposce, quibus data sunt: si accepta iam consumpsisti, nulli sumus. Vehementer hoc Antonium commouit, pleraq; vt fierent, ignorantem, non tam ob so- cordiam, quam simplicitatem, qua ductus facile suis credebat. Erat enim simplici ingenio, & tarde sentiebat: cum au- tem sensisset se peccasse, graui mouebatur pœnitentia: & apud eos ipsos, quos offendisset, confitebatur. Magna & sup- plicia & præmia irrogabat, modi tamen in gratificando quam

quam puniendo erat negligentior. Iocis autem eius nimis
 &q; dicacitati hoc aderat remedium, quod se vicissim mor-
 deri patiebatur: neque minori cum voluptate ridebatur
 quam ridebat. Quæ res illi maximo fuit malo. Qui enim
 libere secum iocarentur, ab iis serio loquentibus nequa-
 quam putabat se adulari: itaq; laudando facile decipieba-
 tur. non enim intelligebat esse, qui adulationi libertatem
 veluti subausterum condimentum admiserent, quo pro-
 teruæ inter pocula loquacitatæ tædium & satietatem dimo-
 10 ueant, idque consequantur, vt assentientes & concedentes
 quoties de re graui sermo in ciderit, non gratiam captare,
 sed prudentia inferiores videantur. Accessit his Antonij vi-
 tiis vltimum malum, Cleopatræ amor, qui & multos oculi
 totos etiamnum eius morbos detexit, sifitosque excitauit: &
 15 quod adhuc bonum ac salubre in ipso inerat, & vitiis relu-
 ctabatur, sustulit atque perdidit. Captus est eo amore ad
 hunc modum. Cum ad Parthicum bellum accingeretur, mi-
 fit ad eam Dellium, mandans vt sibi in Cilicia occurreret,
 purgatura se de obiectis criminibus: nam ferebatur Cassio
 20 ad bellum gerendum magnos sumptus suppeditasse. Dell-
 lius vt formam eius, inque dicendo facundiā & callidita-
 tem perspexit, statim sentiens Antonium nihil grauius in
 istam mulierem staturum, sed summo in honore secum
 habituru, ad demerendum eam se conuertit: hortatusq; est
 25 vt (quemadmodum est apud Homerum) probe adornata in 15
 Ciliciam iret, neque Antonium metueret, omnium du-
 cum suauissimum & humanissimum. At Cleopatra cum
 verbis Delij mota est, tum ex consuerudine, qua sibi cum
 Julio Cæsare, & Cneo Pompeij F. intercesserat, coniectu-
 30 ram fecit, se facile Antonium capere posse. illi enim puellæ
 eius adhuc, & rerum imperita noticiam habuerant: ad hūc
 ea ætate prædicta ibat, qua est forma & florentissima mulie-
 ribus, & consilium viget. Itaque multis donis paratis, eoq;
 ornatu, qualem ex magnis opibus & beato regno adferri
 35 erat contentaneum, plurimum autem speci in seipsa, suisque
 illecebris & præstigiis positum habens accessit: multisque
 ab ipso & amicis eius literis acceptis, quibus euocabatur.
 adeo Antonium ludibrio risuique habuit, vt Cydno amne 16
 subueheretur lembo, cuius aurea puppis erat, velis passis
 purpureis, remis argenteis, qui ad tibiarum, fistularum, ci-

*Amor Cle
opatrae.*

thararumque sonū concinne agerentur: ipsa sub aurato re-
cumbebat conopeo, eo modo ornata, quo Venus pingitur:
& vtrinque pueri Amoribus, quales pinguntur, similes ad-
stabant, ventulum facientes: ancillæ pulcritudine præstan-
tes Nereidum & Chaitum habitu ad rudentes ac gubernan-
tula sedebant: odoramenta varia miræ suavitatis fragran-
tiæ ad ripam exhalabant. Hominum autem multitudo
partim secundum vtranque ripam comitabantur, partim
ex vrbe ad spectaculum confluebant: ita vt effusa cō omni
ā foto turba, solus Antonius pro tribunali iedens relin-
queretur. Rumor autem passim increbruerat, Bona Asie
fortuna Venerem ad Liberum comesatum venire. Misit
Antonius, qui eam ad cœnam vocarent: sed ipsa petebat, vt
ad se potius ille veniret: & Antonius vt se facilem iam tum,
amicumque ostenderet, morem gessit. Ibi cura apparatum, 15
qualis sermone explicari nequit, inueniret Antonius, ma-
xime ad lumen multitudinem obstupuisse fertur: quæ-
ita passim dependebant, aptissime inter se collocata & qua-
dratorum & circulorum figuræ positi suo exprimentia, vt
inter commemoratu dignissima spectacula iste conspectus 20
referri meruerit. Postridie ipsam conuiuio accipiens, cum
splendorem eius & soleritiam superare studeret, vroque vi-
etus, vltro cœpit in sui apparatus rusticitatem & inelegan-
tiam illudere. Cleopatra autem cum in iocis etiam Anto-
nij magnam ruditatem, militaremque inesse animaduer-
teret, his quoque aduersus eum vfa est liberius iam atque 25
confidentius. Etenim ferunt pulcritudinem eius, si sola spe-
ctaretur, nequaquam fuisse incomparabilem, neque eam,
quæ stuporem insipientibus iniiceret: verum in coniunctu
laquei inerant ineuitabiles. quippe facundia formæ con-
iuncta, & gestus ad sermonem quemuis accommodatissimi, 30
atq; ipsa suauitas vocis aculeū relinquebant in animo col-
loquentis. Lingua quidem sua, veluti multis fidib. instructo
instrumento ita vtebatur, vt facile ab vnus gēris sermone
ad alium transiret: quippe cum paucis barbaris per interpre-
tem colloquebatur: plerisque ipsa dabant responsa, Aethio-
pibus, Troglodytis, Hebreis, Arabibus, Syris, Medis, Par-
this: quin & alias multas linguis perdidicisse traditur, cum
priores reges ne Aegyptiam quidem calluissent, & quidam
Macedonicam etiam oblii fuisse. Adeo autem Cleopa-
træ a.

itæ amore correptus fuit Antonius , vt Fulvia Romæ bellū
 contra Cæarem gerente , & in Mesopotamia Labieno à ¹⁷
 Parthorum regis ducibus imperatore Parthico dicto , ac cū ^{Antonissimo}
 eorum exercitu iamiam in Syriam irrupturo , ipse à Cleo-
 patra Alexandriam abduci sustinuerit , atque ibi ludis io-
 sis in Ae-
 cisque deditus adolescentuli instar ocium nocti luxurian-
 do tempus (cuius iacturam damnosissimam Antiphō dixit) ^{Egypto cum Cleopatra luxurias.}
 consumperit. Vitæ autem consuetudine vrebatur , quæ in-
 imitabilis dicebatur , quotidianisq; conuiuis immensas
 opes prodigebant. Nam Philotas Amphissensis medicus ,
 Lampriæ auo meo retulit , sibi , cum eo tempore Alexan-
 dræ artem disceret adolescentis , à quodam coco regio , fa-
 miliari suo persuasum , vt magnificentiam apparatumque
 cœnarum Antonij inspicceret , atq; ideo in culinam adduci
 se passum . ibi cum præter cætera , que erant permulta , aptos
 octo aslari videret , præ admiratione quæstus de conuia-
 rum numero . Cocū risisse , atq; ita respondisse : Circiter duo
 decim sunt , qui mensæ accumbunt : cibos autem Antonio
 apponi oportet quam maxime succulentos , cum quidem
 momēto temporis ij corrumpi possint , ne tales sint . at vero
 Antonius incertis horis cœnat , & cum modo iusserit para-
 ri cibum , mox vel potum poscēs , vel colloquio oblato dif-
 fert : itaque non vna , sed multæ cœnæ apparendæ sunt , quia
 tempus cœnæ præsciri difficulter potest . Idem Philotas nar-
 rauit se progressu temporis in numerum ascleclarum Anto-
 nij ex Fulvia filij receptum , & cum eo , quoties non cum pa-
 tre cœnaret , vna cum reliquis amicis cœnare solitum . Ac
 se aliquando cuidam medico , qui vna cœnantes disputan-
 do & ostentando obtunderet , huiusmodi sophisme os-
 obthurasse : Quodammodo febricitati frigida est exhiben-
 da , atqui omnis qui febricitat , quodammodo febricitat . ¹⁸
 omni igitur febricitanti danda est frigida . Isto homine , ^{Antonij}
 & continente , Antonij filium delectatum eo facto , mēsam ^{Iuniorum}
 demonstrasse multis ac magnis poculis onustam , & , Hæc , ^{munificem}
 dixisse , omnia tibi dono do Philota . Studium eiusipso pro-
 bante , sed procul ab eo rem abesse cogitante , vt tanti mu-
 neris dandi potestas pueri tali esset , paulo pōst puerum
 quendam in vase ea pocula sibi attulisse , & vt consignaret
 postulasse : Antonium autem cum tergiuersantem ipsum
 videret , & accipere verentem , dixisse : Quid cunctare homo

inepte? nescisne autorem muneris Antonij esse filiu, qui totidem aurea largiri possit? Mili tamen obtempera, pecuniam pro poculis accipe: fortassis enim pater quædam ex ins desideraturus sit, propter antiquitatem & nobilitatem operis. Hæc Philotam sibi crebro referre solitum auus narrabat. Enimvero Cleopatra adulacionem non, vt Plato, in quaator partes, sed multifariam diuidens, & feris iocularibusque subinde rebus nouam aliquam voluptatem gratianve, qua Antonium producerer, comminifcens, dies non esque eum detinebat. Nam & colludebat, & comporabat, & venanti aderat, & in armis se exercentem spectabat: & noctu foribus & fenestris popularium adstanti, iocisque eos qui intus erant lacestanti aderat, vnaque vagabatur ancillæ amictu: quippe & ipse seruilem habitum sumebar, eoque semper probris, nonnunquam etiam verberibus acceptus discedebat. Et tametsi plerisque suspectus esset, tamen scurrilitate eius gaudebant: atque Alexandrini vna ludentes haud ineleganter atque inuenuste dicebant, eum tragicco vultu apud Romanos, apud iplos comicò vti. Vnum de iocis eius referre satis erit: nam plerosque recensere velle, nugatoris fuerit. Cum aliquando pisces præsente Cleopatra captaret, & inique ferret se successu frustrati, piscatoribus mandauit, vt occulte vrinantes hamo pisces antè eaptos appenderet: bisque aut ter ita trahens, non fecellit Aegyptiam: verum ea mirari se simulans, amicos orauit, vt in crastinum spectaturi piseationem adessent. Multis in lembosingressis, demissio ab Antonio funiculo, quendam de suis occulte infra aquam adnatare vncino, & affigere Ponticum falsamentum iussit: cum traxisset Antonius, prædam se noctum ratus, risu, vti erat consentaneum, exorto, Nobis, inquit Cleopatra, ò imperator, Phariis & Canopicis regibus calamos trade: tuum est vrbes, reges, & regna pescari. Puerilibus hisce nugis & ludis vacanti Antonio, nuncij duo afferuntur: alter Roma, Lucium fratrem eius, & vxorem Fuluiam primum inter se trixatos, deinde moto Cæsari bello euertisse rem suam, & ex Italia fugere: alter nihil hoc lætior, Labienum Parthos adducere, & omnem ab Euphrate & Syria regionem vsq; ad Lydiam & Ioniam inuadere. Vix tandem somno & crapula excussa, ad reprimendum Parthos contendit, & vñque ad Phœnicen progressus est: Fulvia au-

Cleopatra
socus.

uix autem literis lamentationum plenis acceptis, versus Italia
5 se conuertit, cum ducentis nauibus. In itinere amici
receptis, qui ex Italia fugerant, ex iis intellexit Fuluiam belli autorem fuisse: quæ ingenio ferox & inquieta, tūc
præterea sperauerat se motu Italico Antonium à Cleopatra auulsurum. Forte fortuna etiam accidit, ut Fulvia ex Italia ad ipsum nauigans, Sicyone morbo absumeretur: quæ Fulvia
10 res occasionem pacis cum Cæsare iungendæ præbuit. Nam simul atque Italiam attigit Antonius, & Cæsar se nihil de Pax cum
ipso queri ostendit, & quæ crimina obiciebantur, Fulvia
15 imputauit: haud passi amici in prætextum eum accuratius inquire, in gratiam eos inuicem reposuerunt. Diuisa sunt & imperia, & Ioniū mare finis statutus: vt Africa Lepido cōcessa, ad orientē sitas prouincias Antonius, versus occidentem
20 spectantes Cæsar obtineret: consulatum vero si ipsi gerere nollent, amici eorum per vices eo fungerentur. Hæc cum bene instituta, arctius fidei vinculum requirere viderentur, id quoque fortuito est oblatum. Sororem natu maiorem habebat Cæsar, diuersa tamen matre (ipse enim Attiae filius
25 fuit, cum ante ex Ancharia pater Octauiam sustulisset) editam, præstantissimam (vt memorant) mulierem ideoq; sibi longe charissimam. etum C. Marcello nuper defuncto vi-
dua erat: sed & Antonius viduus videbatur morte Fulvia fa-
ctus, habere se Cleopatram non inficians, coniugio autem
eis iunctum negans: qua vñica adhuc in re ratio eius cum
30 amore Aegyptio luctabatur. Itaque nuptiarum inter eos contrahendarum omnes autores fuerunt, sperantes Octauia, cui præter pulcritudinem grauitas etiam atque prudens inesset, coniuncta Antonio, & (vt talem haberiv-
xorem dignum est) dilecta, salutarem rebus omnibus eam affinitatem fore. Postquam in hoc consensum vtrinque est, Romam venerunt, & nuptias ibi fecerunt: senatusque Octauiam
35 consulto permisum Octaviae, ut ante decimum mensem à ducit An- morte mariti prioris rursus nuberet. Cum Sexto etiam tonsus.
Pompeio, qui Siciliam tenens, Italiam vexabat, multisque
piraticis nauibus, Mena & Menecrate ducibus, infestum
nauigantibus mare faciebat, pacem eis componere vi-
sum est: quod is humanum se Antonio præbuisset, matrem eius cum Fulvia profligatam excipiendo. Conuentum Sex. Pom-
peio apud promontorium & aggerem Miseni, Pompeio peto.

classe, Cæsare & Antonio terrestribus copiis adstantibus.
 Ea conditione pax confecta est, vt Pompeius Sardiniam &
 Siciliam obtineret, mare prædouibus purgaret, certam-
 que frumenti mensuram Romanam mitteret. Inde acta mu-
 tuo conuiuia: & sorte Pompeio contigit, vt prior istos exci-
 peret. Hic quærenti Antonio, Vbinam cœnaturi essent,
 Hic, inquit: (nauim ostendens sexremem prætoriam) hæc
 enim paterna domus Pompeio relicta est: exprobrans An-
 tonio, quod is paternam ipsius domum possideret. Nau in
 ancoris stante, ponte à promontorio ad nauim facto, studi-
 osè eos exceptit hospitio. Feruente autem conuiuio, & di-
 gitis in Cleopatram & Antonium salmis iactatis, Menas pi-
 rata ad Pompeium accedens, tacite, ita vt exaudiri à nem-
 ine posset, Visne, inquit, succisis nauis ancoris te non Sardi-
 niæ & Siciliæ, sed Romani dominum imperij faciam? Pom-
 peius exiguum temporis secum eam rem meditatus, Inius-
 su, ait, meo à Mena id tibi faciendum fuit: nuic præsenti
 rerum statu cōtentis simus: id peierare enim non est meum.
 Atque ita vicissim conuiuio ab illis acceptus, in Siciliam
 nauigavit. Antonius autem secundum has pacificationes 20
 Ventidium in Asiam misit, vt Parthos progressu arceret: i-
 pse in gratiam Cæsaris, Iulij Cæsaris flamen factus est. Reli-
 qua etiam ciuilia, & maxima negotia amice & communi-
 ter tractauerunt: in rerum vero iudicrarum certaminib. mo-
 leste ferebat Antonius se ab eo semper superari. Habetbat se-
 cum ariolum quendam Aegyptium, corum vnum qui na-
 talicias prædictiones exercent: is siue in Cleopatrae grati-
 am, seu quod ita re ipso sentiret, libere ad Antonium dixit,
 Fortunam eius, splendidissimam alioquin, & maximam, à
 Cæsaris fortuna obscurari: consuluitque vt ab isto adole-
 scente quam longissime se subduceret: genius enim (aiebat)
 tuus genium istius timet: & cum seorsim alacer sit atque e-
 latus, illo appropinquate demittit fese, & fit, quam ante,
 deterior. Et vero res ipsæ testimonium Aegyptio videntur
 talisse. Nā quoties vel sorte, vel talis aliqua de re decreuif-
 sent, semper inferior Antonius abibat: sæpe etiā cū gallos,
 aut cornices pugnaces commisissent, penes Cæsarianos vi-
 toria fuit. Hæc occulte doluerunt Antonio, ac magis ma-
 gisque fidem Aegyptio habens, rebus suis Cæsari commis-
 sis, ex Italia abiit, Octavia vxore, ex qua ei filiola iam erat
 nata

nata, secum usque ad Græciā dūcta. Circum' Athenas hys
manti primus rerum à Ventidio prospere gestarum nunci-
us allatus est, ut is victis p̄cilio Parthis, Labienum & Phar-
napaten ducum regis Orodis p̄stantissimum occidisset.
¶ Eius rei causa epulum Græcis p̄buit, Iudisque Athenis
p̄fuit: ac domi imperatoriis insignibus relictis, eum fa-
scibus gymnasiarchicis tunicatus, & phæcasia (calciamenti
nomen est) subligatus processit, ac pueros luctantes diri-
mens prostravit. Exiturus autem ad bellum, coronam de
10 sacra olea sumpsit, & oraculi cuiusdam monitu à clepsy-
drâ aqua vasculum repletum secum abstulit. Interim Paco-
rum regis Parthorum filium cum magno exercitu iterum
in Syriam irrumptem V entidius in Cyrrhestica obuiam
factus fundit: ac magna Parthorum strage edita, ipsum et-
15 iam Pacorū cedit. Hoc inter nobilissima factum ponitur,
quo & pœnas Romani à Parthis sumpterunt ob necatum
Crassum meritas: & Parthi tribus continenter p̄ciliis vi-
eti, rursus intra Mediam & Mesopotamiam sunt compulsi.
Ventidius autē Antonij inuidiā metuens, vterius persequī
20 Parthos non ausus, exercitum circumducens ea quæ defe-
cerant recepit, & Antiochum Commagenes regulum Sa-
mosatis obseedit: cumq; is mille talenta ſe daturum, & im-
perata ab Antonio fakturum polliceretur, mittere ad eum
nuncios iuslit. Iam enim propeaderat Antonius, neq; Ven-
25 tidius cum Antiocho pactum icere finebat, cupiēs vel hoc
factum suo nomine inscribi, ne omnia Ventidiij opera con-
fecta videretur. Verum tracta obſidione, cum obſeffi despe-
rata pacificatione ad vires confugiffissent, nihil agens, ac pu-
dore & pœnitentia correptus, acceptis trecentis talentis,
30 pacem dare Antiocho fatis habuit. Paucis inde quibus-
dam rebus in Syria constitutis, Athenas rediit, Ventidio
quibus decuit honoribus ornato, & ad triumphum missō.
Hic vnuſ ad nostram usque ætatem de Parthis triumpha-
uit, vir obſcuro natus loco, sed qui eum amicitiæ Antonij
35 fructum caperet, vti magnarum rerum gerendarum ha-
beret occasiones: quibus pulcerime uſus, fidem fecit
ei, quod de Antonio & Cæſare dicebatur, eos facilius a-
liorum, quam sua opera bellum gerere. Nam & Sossius
Antonij in Syria legatus multa feliciter egit: & Canidius
ab eodem in Armenia relictus, Armenios regesque Ibero-

V entidio
res geſta.

20

rum & Albanorum vicit, & vsque ad Caucasum processit: unde nomen & gloria potentiae Antonij apud barbaros aucta est. Ipse vero Antonius rursum quibuldam calumniis aduersus Cæsarem incitatus, C C C. nauibus Italiam petiti: Brundusioque non receptus, Tarentum appulit. Ibi exoratus est ab Octavia (quæ vna ex Græcia nauigarat, gruia tum, cum alteram iam ei filiolam peperisset) vt eam ad fratrem dimitteret. Hæc in itinere obuiam Cæsari facta, assumptis ex eius amicis Agrippa & Mæcenate summis pre-cibus eum obtestata est, ne se ex beatissima muliere miser- 10 rimam fieri sineret: oculos iam omnium hominum in se conuerbos, quæ duorum imperatorum, alterius vxor, soror alterius esset: quod si deterior fortuna viciisset, interque eos bellum excitasset, ipsos quidem incerto euentu certato- 15 ros, sibi propter virunque certam calamitatem impende-re. Fractus his Cæsar pacifice Tarentum venit: fuitque iu- cundissimum spectaculum, magnum in terra exercitum quiescere, multas naues in littore ociosas stare, cum ipsi im- peratores eorumq; amici inter se congrederentur, ac mu- 20 tuo consularent. Prior Cæsar apud Antoniū in gratiam so- roris suæ cenauit. Paetum est ibi inter eos, vti Cæsar duas legiones ad Parthicum bellum Antonio daret, Antonius Cæsari ætatas naues centū: præter hæc Octavia fratri à ma- rito viginti myoparones, marito à fratre mille milites im- petrauit. Hoc pacto à se digressi, Cæsar statim bellum Sici- 25 liense contra Pompeiū occipit: Antonius Cæsari Octavia, & liberis suis quos ex ea & Fulvia habebat commissis, in As- siam traiecit. At vero postquam prope Syriam venit, graue illud malum Cleopatra amor, qui diu dormiuerait, & lanio- 30 ribus videbatur cogitationibus cōsopitus esse, resuscitatus est, viresque recepit, ac tandem inobediens & contumax (vt ait Plato) animi iumentum, honesta & salutaria omnia cal- cibus repulit. Mittitur adducendæ in Syriam Cleopatræ 35 causa Fonteius Capito. Quæ simul venit, nullum ei vile aut modicum ab Antonio munus est datum, sed Phœnix, Cœ- lestyria, Cyprus, Ciliciæ magna pars, Iudæa balsamifera, & Arabia Nabatæa pars ea quæ ad Oceanum pertinet. Hæc maxime donationes Romanos offenderunt, cum alias principatus & regna magnarum gentium priuatis addi- 40 xisset: multis regibus regna ademisset, vt Antigono Iudæo:

Donata

*Cleopatra
ab Anto-
nio.*

quem

quem præterea (quod nulli antè regi euenit) in medium p-
ductum securi percussit. nimirum autem turpitudine mu-
nerum præsertim Romani mouebantur. Auxit inuidiam,
quod ex Cleopatra gemellos sustulit: ex quibus masculum
5 Alexandrum, filiolam Cleopatram appellauit, cognomen-
tis additis huic Lunæ, illi Solis. Sed Antonius iactandi se
turpibus suis factis gnarus, magnitudinem Romani impe-
rij dicebat non tam accipiendo quam largiendo demon-
strari: porrò autem successionibus & procreationibus mul-
10 torum regum, amplificari nobiles familias. Sic ab Hercule
gentis Antoniæ autorem generatum, cum is spem posteri-
tatis non in uno vtero collocaret: neq; Solonis leges aut iu-
dicia de partu metuisset, sed naturæ multarum stirpium o-
rigines & initia relinquere cupiisse. Cæterum cum Phraor-
tes occiso Oroe patte, regnum Parthicum occupaslet, cū
15 multi alij Parthi aufugerunt: tum Monæses, illustris vir &
potens, ad Antonium venit. Eius fortunam cum casu The-
mistoclis, suam autem potentiam & magnanimitatē cum
Persarum rege comparans Antonius, tres ei vrbes dono de-
20 dit, Larissam, Arethusam, & Hierapolim, quæ olim Bamby-
ce dicta fuit. Ut verò rex Monæsi missis nunciis fidem de-
dit, & ad se reuocauit, libenter eum remisit Antonius, Phra-
ortis decipiendi causa: cui pacem offerebat, si signa Crassi
clade capta, & captiuos redderet. Amandata porrò in Ægy-
25 ptum Cleopatra, per Arabiam in Armeniam profectus est.
Ibi copias suas recensuit, quas ei regum auxilia auxerauit:
quorum facile princeps Artabazus Armeniae rex sex equi-
rum, septem peditum millia suppeditabat. Erant Romanoru-
30 m peditum sexaginta millia: equitum Romanorum, vna
cum Hispanis & Gallis, qui eis accensebantur, decem mil-
lia: ex reliquis nationibus aderant vna cum equitibus & le-
uis armaturæ militibus XXX. millia. Has tantas copias,
quibus etiam trans Baætra habitantes Indos terruerat, & v-
niuersam Asiam tremefecerat, inutiles ei amor (vti perhi-
35 bent) Cleopatra rediget: quippe festinâs, vt apud eam hy-
mare posset, bellum intempestive extulit, & perturbatè o-
mnia gessit, animi sui impos, & veneficiis quibusdam seu
præstigiis captus, vt semper ad illam respiceret, magisq; de-
mature ad eam redeundo, quam vincendis hostibus es-
set solitus. Primò enim, cum ex yslu fuisset, vt in Armenia

Bellū An-
tonij Par-
thicum.

Copia.

hyemem exigeret, exercitumq; o^csties mille stadiorum itinere fatigatum reficeret, & antequam Parthi ex hybernis mouerent, initio veris Mediam occuparet: non expectato
 25 opportun^o tempore, statim ad l^axuam relict^o Armenia A-tropatenam inuasit, atque populatus est. Deinde cūm ma-chinas ad oppugnationes necessarias trecentis curribus ve-heret, inter quas aries fuit LXXX. pedum longitudine, & quarum nulla commode refici posset iis in locis, eō quod superiores istae regiones omnes ligna neque satis procula, & mollia agnunt: eas post se, tanq; a celeritatⁱ impedimen-10 to futuras, reliquit, præsidio relict^o apud currus istos, &
 26 duce Statiano. Phraata autem, magnam vrbem, in qua re-gis Mediae liberi & vxores erant, oppugnare aggressus, sta-tim sensit quantum relinquendis machinis peccasset: ag-gerem magno labore & multo tempore aduersus vrbem 15 extulit. Interim Phraortes magno cum exercitu descen-dens, audit^o currus machiniferos relictos ab Antonio præ-sidio eorum magnam immisit equitum manum: ab his Statianus cum permultis suorum occisus, machinæ captae & perditæ sunt, capti permulti, interque eos rex Polemo. 20 Omnis qui cum Antonio fuere doluit, vti fuit con-sentaneum, incommodum belli initio præter spem accep-tum: Armenius autem Artabazus rebus Romanorum desperatis cum suo exercitu discessit, cum quidem maxime id bellum ipse concitasset. Cum autem Parthi ob-sidentibus superue-25 nirent, seque superbe multa minantes ostentarent, Anto-nius, ne militibus ociosis mœror & metus cresceret, decem legiones, & tres prætorias grauis armatura cohortes, equi-30 ratumque vniuersum frumentatum eduxit, sperans se ea ra-tione hostem ad pugnam conserendam pertracturum. Vni-35 us diei iter progressus, cum circumfusos videret Parthos, & inter proficiscendum ipsum adoriri cupere, signum pu-gnae in castris proposuit: & demolitus tabernacula, veluti non pugnaturus, sed exercitum abducturus, lunatam barbarorum aciem præteriit, mandato equitibus, vt cum 35 viderent pediti iam cum Parthorum primis configendi potestatem factam, aduersis equis in hostes inuaderent. Barbaris autem contrà in acie stantibus mirabilis ordo Romanorum videbatur, spectabantque eos æquilibus in-27 ter qualis & sine vlla ordinis confusione tacitos prætereun-tes.

tes, ac pila vibrantes. Ut signum datum est, & equites Romanis conuersis equis cum vociferatione impetum fecerunt: hos quidem Parthi substiterunt, quamvis intra sagittæ iactum statim peruenissent: sed ubi pedites etiam armis concussis & clamore sublato irruerunt, & equi Parthorum perterriti sunt, & ipsi antè quam manus conseri possent fugerunt. Insecutus eos acriter est Antonius, atque in spem magnam venit, se summam, aut maiorem utique partem eius belli hac victoria confecisse. Insecuti hominem pedites ad L. equites ad C C C. stadia, cum dein de captos & cælos recenserent, triginta captos, cælos octoginta inuenerunt. Grauis itaque tristitia oborta, atroxque res visa, quod victores tam parum hostium interfecissent, vicii autem amissi tam multis viderentur, quam apud currus perdidissent. Postridie conuasatis rebus, iter versus Phraata & castra sua fecerunt: ibi in via primùm in pacos hostium, deinde in plures, denique in vniuersum hostium agmen, veluti intactum & integrum, inciderunt: prouocatique & vndiq; lacessiti, difficulter & magno cum labore in castra redierunt. Cum Medi excursione in aggerem facta Romanos perterriti essent, iratus Antonius eos qui stationem deseruerint decimauit: ac qui sorte supplicium capitis evasissent, iis pro frumento hordeum dari iussit. Iam & molestum vtrisq; erat bellum, & grauiores difficultates metuebantur: cum & famem imminere Antonius timeret, quod absque vulneribus & exitio sui frumentari nequerent: & Phraortes sciens Parthos quiduis potius sustinere, quam in hostico versari per hyemem, iam post æquinoctium autumnale aere gelaseente, verebatur ne Romanis in obsidione perseverantibus, à suis ipse desereretur. Talem itaque dolum Antonio tendit. Parthi, qui maxime noti Romanis essent, in frumentationibus aliisq; congressibus thicenius Romanos tractabant, nonnulla eos auferre permitentes, & virtutem eorum, ut bellicosissimorum hominum, & qui regi etiam ipsorum admirationi essent, laudantes. Propius deinde adequitantes, & citra periculum iam Antonio obtrectabant, qui Phraorti pacem inire, ac parcere tot tantisq; viris cupienti occasionem dare nollet, ac duos potius grauissimos hostes, famem & hyemem, trahendo obsidionem præstolaretur, quos effugere etiam Parthis comi-

*Victoria.**Dolus Par.**thi.*

comitantibus sit futurum difficile. Hæc cum ad Antonium multi deferrent, quamuis ea spe delinitus, non prius tamen legatos misit, quam ex benevolis istis barbaris quæsivit, hæcne ex sententia regis dixissent. Cum ita esse affirmaret, atq; hortarentur ne sibi metueret, néve quicquam verere-⁵ tur: quosdam amicorum ad Phraortem misit, iterum signa & captiuos reposcens, ne effugio & salute contentus esse velle videtur. Respondit Parthus, frustra cum ista poscere: pacem se ei & securitatem concedere, si statim abiisset. Itaq;¹⁰ Antonius paucis diebus castra mouit. Quamuis autem di- cendo apud multitudinem largiter posset, & castrensi fa- cundia nemini æqualium cederet, tamen pudore & mero- re motus, concessionem tum confirmandorum militum cau- sa habere non sustinuit, idq; negotij Domitio Ænobarbo dedit. Quidam grauiter id tulerunt, despici se rati: plerique ¹⁵ quid causæ esset animaduerterunt, miseratione eq; moti, vi- cißim duci obedientiam & verecundiam deberi senserunt. Reducturum autem ea qua venerat via campestri & arbori- bus vacua quidam Mardus natione, diu inter Parthos ver- fatus, & cuius fides Romanis in pugna apud machinas esset ²⁰ cognita, adiit: ac monuit, vt montibus ad dextram relictis, discederet: néve exercitum graui armatura impeditum in apertis campis tanto equitatui & sagittariis obiiceret: id e- nimirae egisse Phraortem, ac propterea eum eq; quis conditioni- bus ab obsidione auertisse: se ipsi ducem breuioris itineris, ²⁵ & commeatu instructioris fore. Hæc cum audisset Anto- nius, secum deliberauit: & Parthis quidē noluit videri diffi- dere post pacificationem: itineris autem breuitatem iuxta pagos habitatos laudans, postulauit à Mardo, vt fidem suā firmarer: isque se tantisper dum in Armeniam venissent, in ³⁰ vinculis habendum tradidit. Biduo eos tutò duxit: tertio die cum iam omnino se Parthorum securum speraret An- tonius, eq; audacius & liberius iter faceret, Mardus agge- rem, quo eruptio fluminis obturaretur, vidi recens aper- tum, & aquam copiose eà quā ipsis pergendum erat, effu- ³⁵ sam: sensitq; id à Parthis effectum, vt transitum ipsis impe- ditiorem ac difficiliorem redderent: Antonium itaq; pro- spicere sibi iussit, & cauere: hostes enim in propinquo esse. Vix dum aciem instruxerat Antonius, ac per eam velitibus atq; funditoribus excurrendi aduersus hostem spacia con- stitue-

situerat, cum superuenire Parthi, & circumuenire, & vndi- *Parthi Ro-*
 que perturbare Romanos conatis sunt. Contra quos cum *manos dis-*
 excurrisse leuis armaturæ milites, Parthi cum multos sa- *cedentes in-*
 gittis sauciassent, neq; pauciora ipsi pilis & plumbatis iicti festant.
 5 vulnera accepissent: rufus inde molesti fuerunt, donec
 Gallicus equitatus cuneo facto in eos impetum dedit, &
 dissipauit: neq; ea die præterea in conspectum venerunt.
 Antonius cognito quid facto vsus esset, multis iaculatori-
 bus & funditoribus, non vltimum modo agmen, sed & v-
 10 trunq; latus muniit, exercitumq; agmine quadrato duxit:
 & equitibus mandauit, vt si hostes adorti pepulissent, non
 procul eos persequerentur. Quo factum est, vt Parthi qua-
 tuor deinceps diebus non grauioribus datis quam acceptis
 malis, languidores fierent, & hyemis prætextu de discessu
 15 cogitarent. Quinta die vñus ducum Flavius Gallus, vir bel-
 lo strenuus, Antonium accessit, & ab eo complures a nouissi-
 mo agmine milites expeditos equitesq; à fronte poposcit,
 serem præclare gestutum pollicens. Eo impetrato, hostes
 irruentes non repulit, vt ante, simul ad aciem peditum re-
 20 trò cedens, sed audacius eo subsistens, manusq; conserens.
 Duces autem postremi agminis videntes eum a reliquis a-
 uulsum, misere qui reuocarent: ac fertur Titius quæstor si-
 gna quoq; apprehendisse, Gallumq; retrò auertisse, & ob-
 iurgasse, quod tam multos bonos viros iret perditum: eoq;
 25 contrâ conuiciante, suisq; vt manerent imperante, ad suos
 abiisse. Gallum autem in aduersos magna vi ruuentem à ter-
 go multitudo hostium imprudentem circumuenit, ita vt
 vndiq; telis impetus, mitteret qui auxilium implorarent.
 Hic à ducibus peditū, inter quos fuit & Canidius, vir sum- *Antonia-*
 30 mæ apud Antonium autoritatis, grauiter videretur peccatū, *norum cla-*
 des. Cùm enim res postularet, vt totam aciem in hostem con-
 uerterent, paucos subsidio mittentes, hisq; vietiis rursus a-
 lios, paulatim in fugam & cladem totum exercitum conii-
 ciebant: actumq; fuisset, nisi Antonius cum armatis à fron-
 35 te ad auxilium accurritset, ac tertia legione per cedentes
 suos aduersus hostem rapta, eum ab inseguendo auertisset.
 Perierunt de Romanis haud pauciores tribus millibus: & in
 castra relati sunt saucij quinq; millia: interq; hos Gallus,
 quatuor sagittis aduerso corpore exceptis confixus, iisque
 vulneribus periit. Reliquos Antonius circumiens visebat,
 dictis-

dictisque confirmabat, lacrymis oppletus & graui mœstro
Benevolē. reæger. At milites læto vultu dextram eius apprehendere,
et in du-
cem. iubere vti abiret, & corpus suum curaret, neve se affligeret,
 imperatorem salutare, seq; saluos eo valente dicere. Omni-
 no autem nemo quisquam ea tempestate imperator exerci-
 tum atq; is fuit robore, tolerantia, & ætatis vigore præstan-
 tiorem habuit: veneratione autem ducis, benevolia obedié-
 tia, eq; quod omnes in vniuersum nobiles, obscuri, prin-
 cipes, priuati, Antonij gratiam & honores ab eo ipsis habi-
 tos salute sua atq; securitate antiquiora habebant, ne à pri-
 scis quidem Romanis victi sunt. Huius autem erga eum
 studij causæ multe fuerunt, vti antè diximus: nobilitas, fa-
 cundia, simplicitas, liberalitas, magnificentia, in iocis &
 convictu urbanitas: tum verò miserans ægrotos, & quibus
 quisque indigeret largiens, alacriores saucios & afflictos
 sanis reddidit. At hostes iam defessos, & animos desponden-
 tes, ita victoria ista erexit, tantumq; apud eos contemptum
 Romanorum excitauit, vt noctu etiam apud castra eorum
 commorarentur, putantes mox fore, vt dissipis fuga Ro-
 manis, tentoria eorum & opes diriperent. Die facta, multo
 plures se Parthi èd congregauerunt, adeo vt ferantur equi-
 tum haud minus XL millia fuisse, cum rex èd, tanquam ad
 exploratā victoriā eos etiam, quos secum habere semper
 solebat, misseret: ipse enim nulli præcio interfuit. Antonius
 autem cum statuisset alloqui milites, pullam vestem petiit,
 vt miserabiliori esset aspetto: amicis tamen repugnantibus,
 paludatus processit, orationemq; ad milites ita instituit, vt
 viatores laudaret, fugam reliquis exprobraret. Quorum
 cum illi bono eum esse animo iuberent, his se purgarent, &
 poscerent vti se vel decimaret, vel quoquis alio supplicio
 puniret, tristiciæ modò suæ finem faceret, manibus ad cœ-
 lum intentis Deos comprecatus est, vt si qua ipsorum inuidia
 pristinam eius felicitatem vlcisceretur, ea in ipso verte-
 ret, saluo & viatore exercitu. Postridie agmine rectius mu-
 nito perrexerunt. Parthis autem eos adorientibus præter
 opinionem admodum suam euénit. Existimantes enim non
 ad pugnam se, verùm ad direptionem ire, multis iaculis i-
 eti, hostesq; fortes & integra alacritate videntes, iterum e-
 languerunt. Rursum eos a collibus quibusdam acclivibus
 descendentes adorti sunt, ac tardius procedentes sagittis
 impe-

Impetierunt. Ibi grauis armaturæ milites conuersi, in me- *Tefudo*
dium expeditos receperunt, ipsiq; in genu subsidentes scu- *militaris*
ta ante se obiecerunt, identidem posteriore suis armis ptio- *descripta-*
rem superne tegente. Hæc figura tecto similis, conspectuq; *tur.*

5 mirabilis, & firmissimum est contra incidentes sagittas
tegmen: delabuntur enim illæ. Cæterum Parthi præ despe-
ratione eos ita & defatigatione genua flexisse rati, positis
arcubus contos sumpserunt, atque accurrerunt. Ibi Romani
clamore strepituque armorum se mutuo cohortati subi-
10 to assiluerunt, comminusque iectos pilis primos hostium
confoderunt, & vniuersos in fugam coniecerunt. Hoc idem
reliquis diebus factum, sensimque processum est. Fames au-
tem in castris extitit, cum & parum frumenti pugnando pa-
raretur, & ad molendini instrumenta decesserit, quæ reliqua
15 erant iumentis partim mortuis, partim saucios portanti-
bus. Fertur Chœnix Attica tritici quinquaginta denariis
tum venisse, hordeaceos panes argenti pondere pari ven-
ditos. Conuersi ergo ad herbas & radices edendas, paucas *Herbain-*
carum quas edere vltatum est repererunt: cumque gustu- *Jania affe-*
20 re etiam ignotas cogerentur, inciderunt in quandam her- *rens.*

bam quæ manducata insaniam, & ex ea mortem affere-
bat. Qui enim edisset eam, nullius rei recordabatur, ni-
hil agnoscebat: vnum hoc agebat, ut (tanquam magnope-
re seriam aliquam rem agens) omnem lapidem moueret:
25 & opulti erant campi eorum, qui humi proclives saxa ef-
foderent & transferrent: ad extremum bilem vomentes
moriebantur, cum, quod vnum erat mali eius remedium,
vino carerent. Multis ita pereuntibus, neq; tamen Parthis
recedentibus, sæpumero exclamasse Antonium ferunt,
30 O decem millia, admirantem istos Græcos, qui cum Xeno-
phonte à Babylone longiori itinere profecti, & cum ingen-
tibus hostium copiis luctati, incolumes euaserant. Eam-
uero Parthi cum diuellere à se exercitum Romanum, or-
dinesque disicere nequarent, sæpe iam vieti & fugati, rur-
35 sus tanquam in pace eos qui frumentatum essent aut pubu-
latum missi adiuerunt, laxatosque arcuum nervos ostendentes,
dixerunt, si iam retrò abire, & finem hic ipsos vi. *Alia Par-*
ciscendi facere: paucos tantū Medos vi ius aut alterius dici *thorū fūl-*
spacio secuturos non vexandi causa, sed qui remotiores pa- *lacia.*
gos custodirent. Additæ his verbis cōsalutationes & amica
collo.

colloquia, ita ut Romani bonam iam fiduciam conciperent,
 & Antonius hisce auditis statueret se campis committere,
 quod montana dicerentur aquæ expertia. Cum hæc senten-
 tia staret, vir quidam ab hostibus ad castra venit, nomine
 Mithridates, consobrinus Monæsis eius, qui ad Antonium,
 confugerat, & ab eo tribus vrbibus donatus fuerat. Is po-
 stulauit, ut aliquis ad se Parthici vel Syriaci sermonis gna-
 rus procederet: cumque Alexander Antiochenis, unus de
 Antonij familiaribus prodiisset, praefatus quis esset, & se p.
 Monæse gratiam referre, quæsiuit ex Alexandro, ecquid p.
 cul cōtinentes & sublimes cerneret colles. Affirmanti, Sub
 iis (inquit) collibus Parthorum vniuersus exercitus vobis
 insidiatur, sperantque vos ipsorum verbis deceptos monta-
 na relicturos, & eò perrecturos. Montanum quidem iter si-
 tim & laborem, quæ ferre consuefisis, obiicit: sed alte-
 ravia ingrediens Antonius, sciat Crassi fortunam se ma-
 nere. His dictis abiit. Antonius autem perturbatus eo in-
 dicio, amicos & ducem itineris Mardum ea de re consul-
 uit, cuius quidē plane eadem erat sententia. nam etiam si
 hostis non monuisset, nouerat iter per campos ambiguum
 ac difficiles errores esse, in aspera autem illa nihil præter v-
 nius diei fitim, molestiæ futurum. Eam igitur noctu Antonius
 ingressus est, iussitq; aquam vñā portari: cum autem
 plerosq; vas deficerent, galeis eam & pellibus excipiebant.
 Sed Parthi, quibus nunciabatur eum iam procedere, præter
 morem suum noctu fugientes infecuti, sole oriente agmen
 nouissimum adorti sunt, Romanis ob vigilias & laborem
 male affectis: C CXL. etiam stadia ea nocte confecerant.
 Insperatus etiam hostium aduentus animos eorum pertur-
 babat, & fitim certamen augebat, cum inter pugnandum
 procederent. Qui primi ibant, ad fluuium peruenerunt,
 cuius aqua frigida quidem & pellucida erat, falsa tamen
 & veneosa: nam bibentibus statim tormina ventris cie-
 bat, fitimque intendebat. Quæ tametsi Mardus prædixis-
 set, milites tamen, remotis vi iis qui ad arcendos eos potu-
 constituti erant, biberunt. Ibi Antonius circuire, suos ora-
 re, vt paulisper adhuc durarent, prope alium esse amnem,
 cætera deinde aspera & equitatui inua, omninoque hostes
 ibi reiectum iri. Simul & receptui cecinit, & castra facien-
 di signum dedit, vt umbra saltē milites reficeret. Ta-
 berna-

Aquano-

zia.

bernaculis iam factis, Parthiisque more suo statim digres-
sis, iterum Mithridates venit: & Alexandro ad se progresso,
iussit vt cum paululum quiessent Romani, ad flumen
properè contendenter: eò vsque enim Parthos infecutu-
sros, neque amnem transisturos. Hæc cum Antonius de Ale-
xandro cognouisset, per eundem Mithridati multa aurea
pocula & pateras dono mittit: is quæ veste tegere posset
sumptis, abiit. Durante itaque adhuc die castra mouerunt: Tumultu-
militum.
10 fucillimam & formidolosissimam reddiderunt. Argentum
enim autem habentes occiderunt, & spoliauerunt: sar-
cinas iumentorum diripuerunt, deniq; Antonii etiam im-
pedimenta aggressi, pocula & mensas preciosas disciderūt,
atque inter se distribuerunt. Trepidatione inde & confu-
15 sione per totum exercitum coorta: quod hostes irruisse,
& ordines dissipasse putarent, Antonius quendam liberto-
rum suorum ac stipatorum Rhamnū vocauit, & iuramen-
to sibi obstrinxit, vt iussus statim ipsum confoderet, & ca-
put amputaret: ne vel viuus in potestatē hostium veniret,
20 vel mortuus agnosceretur. Flentib. ad hoc amicis, Mardus
Antonium consolatus est, propè fluuum peruentum affir-
mans: id se & ex temporis ratione eius itineris cognoscere
(parum enim de nocte erat reliquum) & ex aura, quæ hu-
midior & frigidior afflans, respirationem iucundorem ef-
25 ficiebat: simul & alii retulerunt, tumultum hunc militum
iniuriis mutuis atque auaritia excitatum. Quare Antonius
vt à vagatione ista & dissipatione exercitum in ordinem re-
uocaret, castrametationis signum edi iussit. Iam albescente
cœlo cum exercitus in ordinem rediret, & tumultus con-
30 sedisset, vltimis Parthicæ sagittæ acciderūt. Statim pugnæ
signum leuis armaturæ militib. datum: legionarii testi-
ne (vt antè) facta Parthorum tela exceperunt, cōminus pu-
gnare non audentiū. Ita paulatim primis progredientibus,
fluuius apparuit: & Antonius equitatum in ripa hostibus
35 opponēs, primò omnīū infirmos traduxit. Iam & pugnan-
tibus tutò bibere licebat. Nam Parthi vt flumen conspe-
xerunt, neroos arcuum remiserunt, & Romanos intrepide
transire iusserūt, multis verbis virtutem eorum laudan-
tes. Amne ita superato cum se aliquantulum collegissent,
haud planè Parthis fidē habentes perrexerunt. Sexta quām
kkk postremo

pōstremō pugnatum fuit die, ad Araxem peruenierunt, qui
 flauius Median ab Armenia diuidit. Apparebat autem &
 altior, & rapidior, quād ut transiri facile posset: rumorque
 ferebatur, ibi hostes eos transgredientes ex insidīs adortu-
 ros. Postquam hunc quoque turō superarunt, & in Arme-
 nia pedem posuerunt, ibi verò tanquam ē mari terram eam
 primum confexissent, osculati solum præ gaudio sunt, &
 tonus. ad lacrymas, mutuosque complexus versi. Proficiscentes
 autem per regionem felicem, & post diuturnam peuariam
 omnibus affatim perfruentes, in hydropicos & cœliacos 10
 morbos inciderunt. Ibi Antonius exercitum recensens, vi-
 ginti peditum, quatuor equirum millia desiderauit, quo-
 rum maior dimidio pars non ab hostibus, sed morbis ab-
 sumpta fuerat. Vigesimalis septimis castris à Phraatis in Ar-
 meniam peruentum est: Parthos octodecim pugnis vice. 15
 rūt. Verūm hæ victoriæ inconstantes inefficacesque fuere,
 quod insequi hostem, vt oportuit, nequierant. Quo po-
 tissimum argumento patuit, per Artabazū stetisse, quo mi-
 nus Antonius victoriæ finem imponeret. Si enim Antonio
 xvi. ista millia equitū, quos duxerat ex Media & Artabazus 20
 Parthico more armatos, & cū illis pugnare assuetos, affuis-
 sent, fusosque à Romanis insequendo necassent Parthos:
 haud vtique toties superatis redintegrare bellum licuisset.
 Eam ob rem omnes Armenio infensi, Antonium ad suppli-
 cium de eo sumendum stimulabant. Sed Antonius, quod 25
 & infirmum haberet exercitum, & omnium rerum effet e-
 gens, prudenti consilio neque expostulauit cum eo ob pro-
 ditionem: neque de familiaritate, & solito honore quic-
 quam diminuit. Sed pōst iterum in Armeniam profectus
 suppliciū. cum multis conditionibus atq; promissis ad se pertractum, 30
 captiuum Alexandriam in triumpho duxit. Quo quidem
 factō grauissimē offendit Romanos, qui ornamentum ma-
 iestatemque patriæ cum Ægyptiis propter Cleopatram
 cōmunicaret. Verūm hæc pōst. Tum verò adulta iam hys-
 me per assidas niues properans, octo millia hominum in 35
 itinere amisit. Ipse cum paucis ad mare descendens, in
 castello quadam Berytum & Sidonem interiacente, cui no-
 men Albus pagus, Cleopatram expectauit: eaque moras
 trahente, animi eger statim potationibus & ebrietati se de-
 dit: neque tamen sustinuit desiderium, sed inter pocula sæ-
 penume-

penumerò exiluit, visum quando illa appelleret. Ut tādem
venit, multam vestem & pecuniam militibus attulit: tam-
etsi sunt qui dicant Antonium vestes ab ipsa accepisse: pe-
cuniam à se, veluti ipsa suppeditante, dedisse. Inter regem
5 verò Medorum & Phraorten Parthū eo tempore dissidium
exitit, de spoliis quidem Romanis, vt fertur, sed tale, vt
metueret sibi Medus, ne regnum sibi Parthus adimeret.
Itaque missis nunciis Antonium ad belli Parthici societa-
tem inuitauit. Hic Antonius in magnam spem erat (et
10 enim equitum & sagittariorum, & quorum defectus ei an-
tē obfuerat ne Parthos domaret, magnam multitudinem
sibi non petenti vlrò offerri beneficium postulato vide-
bat) ita se comparabat, vt rursus per Armeniam profectus,
& apud Araxem fluuium cum Medo coniunctus, bellum
15 Parthis inferret. Interim Octavia ad maritum nauigare cu-
pienti Cæsar permisit, non tā vt sorori gratificaretur, quām
vt ea contumeliosè ab Antonio tractata & spreta, occasio-
nem sibi belli honestam pararet: ita enim quidam affirmat.
Octavia cū Athenas peruenisset, literas ab Antonio acce-
20 pit, quibus eam manere iubebat, & de expeditione sua do-
cebatur. Illa tametsi doleret, & prætextum sentiret, missis ta-
men literis percontata est, quo mitti vellet dona sibi ab ipsa
allata. Afferbat autem multam vestem militarem, multa
iumenta, pecunias & dona ducibus eius atque amicis: præ-
25 terea delectorum militum duo millia, ad cohortes præto-
rias constituendas pulcherrimè armis instructos. Hæc Ni-
ger quidam Antonii amicus ab ea missus indicabat, & ver-
bis dignis munera commendabat. At verò Cleopatra se ab *Cleopatra*
Octavia oppugnari sentiens, verita ne grauitati morum ea *technæ*
30 & Cæsaris potentia studium gratificandi & demerendi
maritum adiungens, eum planè in suam potestatem redi-
geret: Antonio iam ex Syria discessum parante, amore eius
ægram se simulare, corpus tenui vietu macerare, vultum
eo accedente attonitum, abeunte languidum & deiectum
35 ostendere, machinari, vt tæpe lacrymantem se videret ille:
tum celeriter lacrymas abolere, & abscondere, tanquam si
celare eum cuperet. Tum assentatores reginæ studiosi An-
tonium increpare: durum & faxeum appellare, qui mulier-
culam ab ipso solo pendentem pessundaret: Octaviam sci-
licet ei propter fratrem & res tenendas coniunctam, vxoris

nomine perfrui: Cleopatram tot hominum reginam, amasiam Antonii vocari: neq; id tamen nomen detrectare, dum viuere sibi cum ipso liceat, neq; victuram illo auulso. Quid multa? ita ad extremum emollierunt effeminaruntq; hominem, vt ne proiiceret vitam Cleopatra metuens, Ale-

xandriam redierit, Medo in alium annum reiecto: tametsi tum res Parthicæ seditionibus agitari ferrentur. Postea tamen ad Medium se contulit, atque amicitiam cum eo iunxit, & affinitatem, filio Cleopatræ filiam eius paruam ad hoc despontens, ac secum auferens, cum iam se ad bellum ciuale accingeret. Cæsar autem Octauiam contumelia affe-

ctam iudicans, reuersam Athenis seorsim deserta Antonii domo habitare iussit. Illa vero mariti domo se non excessu-

ram respondens, fratrem insuper orabat, vt si nullam aliam belli causam haberet, quâm Antonii in ipsam iniurias, mis-

sas illas faceret: turpe enim vel auditu fore, duos maximos imperatores, alterum ob amorem, alterum ob obtrectationem muliebrem Romanis ciuale bellum concitasse.

Quod autem dixit, id re ipsa confirmauit. Nam & in domo

Antonii tanquam praesentis habitauit, & liberos eius non ex ipsa modò, sed etiam ex Fulvia, natos honestè & magnificè curauit, & missos ab Antonio amicos ad magistratus petendos aut expedienda negocia apud Cæsarem pro

iis intercedendo iuuit. His ipsis factis infacia Antonio no-

cuit, odia hominum aduersus eum concitans, qui tam præ-

clarum vxorem tam iniquè haberet. Auxit inuidiam diuisio

inter liberos Alexandriæ facta, tragicæ, & superba, & odium

in Romanos præ se ferens. Etenim replete hominibus gy-

prouincias miasio, duos aureos thronos super argenteo tabulato col-

P.R. Cleo- locauit, unum sibi, alterum Cleopatræ, ac liberis alias hu-

patra ad- miliores. Tum primum Cleopatram declarauit Ægypti,

Cypri, Africæ, Cœlesyriæ reginam, collega addito Cæsario.

ne, quem ea ex Cæsare concepisse grauidaque ab eo relicta

fuisse credebat: inde communes sibi & illi filios, reges re-

gum appellauit: & Alexandro Medianam, Armeniam, Par-

thiamque (si quando subacta foret) attribuit: Ptolemy Sy-

riæ, Phœnicen, & Ciliciam. Simul & produxit eos, Alexan-

dru Medico vestitu, cum tiara & erecta cidari: Ptolemaum

cum crepidis, chlamyde, & causia, quam diadema orna-

bat: hic enim habitus est regum qui Alexandro Magno suc-

cesser-

OCTAVIA
bonitas.

Antonius
provincias miasio, duos aureos thronos super argenteo tabulato col-

P.R. Cleo- locauit, unum sibi, alterum Cleopatræ, ac liberis alias hu-

patra ad- miliores. Tum primum Cleopatram declarauit Ægypti,

Cypri, Africæ, Cœlesyriæ reginam, collega addito Cæsario.

ne, quem ea ex Cæsare concepisse grauidaque ab eo relicta

fuisse credebat: inde communes sibi & illi filios, reges re-

gum appellauit: & Alexandro Medianam, Armeniam, Par-

thiamque (si quando subacta foret) attribuit: Ptolemy Sy-

riæ, Phœnicen, & Ciliciam. Simul & produxit eos, Alexan-

dru Medico vestitu, cum tiara & erecta cidari: Ptolemaum

cum crepidis, chlamyde, & causia, quam diadema orna-

bat: hic enim habitus est regum qui Alexandro Magno suc-

cesser-

cesserunt, ille Medorum & Armeniorum. Cùm pueri patrētes salutassent, alterum Armeniorum, alterum Macedonicum satellitium stipauit. Cleopatra autem & tūc, & quoties in publicū prodiret, vestē Isidis sacrā gestabat, & noua s̄ Isis dicebatur. Hæc in senatu Cesar referēs, & sepe apud populū accusans, ciuiū animos in Antoniū accēdit. Antonius quoq; vicissim Cesarem missis literis accusauit. Hæc autem *Antony* præcipue obiiciebat, Quod Pompeio Sicilia adempta, in *Cesaris* sulam secum partitus non esset: Quod naues quas ab eo ad *mutua crisi* bellum precario sumpsisset, sibi retinuisse: Quod Lepidum collegam magistratu d:ie cisset, ignominiaque affe-nes. cisset, & prouinciam eius ac redditus ipse per suum legatum obtineret: Quod totam projē Italiam propriis militibus diuississet, Antonianis nihil reliquisset. Ad hæc ita respon-dit Cæsar, se Lepido per vim & libidinem imperanti potestatem ademisse: parta bello cum Antonio diuisurum, vbi & is secum Armeniam partitus fuerit: militibus eius nihil de Italiae agro deberi: habere eos Armeniā & Mediam, quas bello vnā cum imperatore præclarè gesto, Romano impe-rio adiecerint. Hæc in Armenia agens Antonius cùm perce-pisset, illicē iussit Canidiū cum sedecim cohortibus ad ma-re descendere: ipse cum Cleopatra Ephesum profectus est. Ibi classis cōueniebat octingentarum nauium, vnā cum onerariis: ex his ducentas Cleopatra præbuit, & viginti milia talentorum, & vniuerso exercitu alimenta ad bellum. Cæterūm eam Antonius, Domitii & aliorum consilia secutus, in Ægyptum nauigare, ibiq; euentum belli expectare iussit. At Cleopatra metuens ne iursus interuentu Octauiae bellum componeretur, magna pecunia Canidiū corrupit, sc̄vt pro ipsa apud Antonium intercederet, eiique ostenderet, Iniustum esse Cleopatram bello, aliquid tam magna præsidia ea contulisset, arceri: neque in rem esse, Ægyptiorum, qui magna pars naualium copiarum sint futuri, animos absentia reginæ languidores facere: alioquin etiam haud apparere, cuinam regum vnā bellum gerentium pru-dentia laude Cleopatra cedere debeat, que tanto tempore ipsa tum amplum regnum administrasset, & diurna præ-terea Antonii consuetudine magnas res ractare didicis-set. Hæc sentētia vicit, fato iam omnia ad Cesarem trahente. Conductis copiis, Samum adiecti genio indulserunt. *Luxuria.*

k k k

Quem-

Quemadmodum enim omnibus regibus, regulis, principi-
bus, nationibus, & vrbibus quæ intra Syriam, Mæotidem,
Armeniam, & Lauria essent, indicatum fuit ut mitterent ad-
ferrentque ad bellum necessaria: ita omnes scenicos ludio-
nes in Samum conuenire necesse fuit, cumque totus pro-
pè orbis terrarū luctibus & gemitibus resonaret, vna hæc
insula per aliquot multos dies fistularum & musicorum
aliorum instrumentorum sono perstrepebat, repletis thea-
tris, & choris certantibus. Singulæ autem vrbes bouem ad
sacrificia mittebant, eaq; vnaobibant, & reges inter se con-
uiuiis & muneribus certabant: ita vt vulgo quæsum sit,
Qualesne hi vietiis hostibus apparatus & pro parte victoria
festiuitates essent instructur, quitanto sumptu belli exor-
dium celebrarent. His peractis Antonius Prienem scenico-
rum ludorum artificibus habitandam dedit: & Athenas ad-
iectus, rursus ludicris & theatro vacauit. Cleopatra au-
tem Octauia honoribus æmulabatur, quam Athenienses
summo in precio habuerant: itaque magnificis donis po-
pulum demerita est. Populus ci honores quosdam decre-
uit, & legatos qui decretum comum eius afferrent misit, 20
interq; eos Antonium, nimiriū ciuem Atheniensem: at-
que is verba apud Cleopatram pro ciuitate fecit. Idem Ro-
manum misit, qui Octauiam domo sua eiicerent: fertur que
abiisse cum omnibus Antoni liberis (excepto filio, quem
primum Fulvia pepererat, qui tunc cum patre erat) plorās, 25
& fortunam suam incufans, quod ipsa etiam in causis eius
belli numerata esset. Romani autem non Octauiam, sed
Antonium miserabuntur, præserim qui Cleopatram vi-
dissent neque pulchritudine, neque ætatis causa illi præfe-
rendam. At Cæsar magnitudine & celeritate Antonii appa-
ratus bellici perturbari, ac metuere, ne sibi durante adhuc
ea æstate decertandum esset: quippe & deerant adhuc mul-
ta, & pecuniae exactiones molestæ erant, cum ingenui qua-
drantem redditum, libertini octauam facultatum partem
pendere coactum infestis clamoribus infecta étur, & to- 30
ta Italia tumultuaretur. Quamobrem inter maxima Anto-
ni peccata id numeratum est, quod rationem belli mutauit:
nam & apparali sui tempus Cæsari concessit, & spaciū se-
dandorum tunultuum, cum qui pecuniam postulati ex-
candescebant, soluto quod poscebatur, icani remitteret.

Interim

Interim Titius & Plancus viri cōsulares à Cleopatra igno- 29
miniis affecti, quod maximè id contenderant, ne ea bello
intercesseret, ad Cæsarē abierunt: atque ei de testamento An-
tonii, quorum erant consciī, retulerunt. Depositum erat id
apud Vestales, atque eae poscenti Cæsari daturas se nega-
uerunt: ipsumque venire, si vellet accipere, iussērunt. Ab-
stulit, ac principio priuatim quādam criminibus obnoxia *Testamen-*
notauit: deinde conuocato senatu recitauit, multis indignè in Anto-
ferentibus: iniquum enim nouumque videbatur, viuum a-
ny.
10 liquem accusari de iis, quæ se mortuo fieri voluisset. Id
maximè urgebat Cæsar, quod de sua sepultura Antonius
iussērat, ut corpus suum, etiam si Romæ decederet vita, per
forum elatum Alexandriam ad Cleopatram mitteretur.
Calvisius autem Cæsaris socius, hæc præterea crimina ob-
iecit Antonio: Pergamensem eum bibliothecam, in qua
ducenta librorum millia erant, Cleopatræ dono dedisse:
in conuiuio multis præsentibus assurrexisse, & pedes ei ex
pacto quodam triuisse: ab Ephesiis eam dominam salutari
se prætente passum: sœpe cū principibus & regibus re-
sponsa daret, onychinas & crystallinas tabulas amatoria
ab ea missas accepisse, & legisse: Furnio, qui in magna exi-
stimatione, interque Romanos disertissimus habebatur,
causam perorante, cū Cleopatra fortè lectica per forum
vehernetur, eum statim atque vidisset prosiluisse: & relicto
25 iudicio lecticæ se applicuisse, eamque deduxisse. Tametsi
pleraque horum commentus videbatur Calvisius. Ami-
ci autem Antoniani Romæ oberrantes populum depre-
cabantur. Ex his vnum, nomine Geminium, populus ad
Antonium misit, qui oraret, ne sibi abrogari magistratum,
30 néve hostem se Romanorum iudicari vellet. Geminus
postquam in Græciam venit, statim suspectus Cleopatræ
fuit, quasi Octauiae causam acturus esset: subsannatusque
ad fiduciam in cœna, & in honesto asseſsu illusus, omnia tulit,
dum colloquendi occasionem nanciseretur. Iussus vero in
35 cœna dicere, cuius rei causa venisset, Reliquum, inquit, col-
loquium sobrios nos requirit: vnu & sobrius & ebrius cer-
tò scio, rectè omnia fore, si Cleopatra in Agyptum abie-
rit. Stomachante ad hoc Antonio, tene, inquit Cleopatra,
abs te factum est Gemini, qui citra tormenta veritatem con-
fessus sis. Geminus paucis post diebus Romanam profugit.

Multi etiam alii amici Antonii adulatorū Cleopatræ scur-
riles insultationes non ferentes, abierunt: inter quos M. et
iam Sillanus fuit, & Dellius historicus. hic quidem sibi ab
insidiis Cleopatræ metuuisse ait, monitum à Glauco medi-
co. Offenderat autem eam, quod inter cœnandum dixerat, 5
vappam sibi infundi, Sarmentum Romæ Falernum vinum
potare. Erat autem Sarmentus unus ex pueris, quos in de-
liciae Cæsar habebat Cæsare ad bellum iam sufficienter pa-
rato, decretum est bellum contra Cleopatram: Antonio
magistratus abrogatus, quem is mulieri concessisset. & ad.
didit Cæsar, Antonium beneficis ita perditum, ut ne sui
quidem ipsius sit compos: bellum contra Romanos geri à
Mardione eunicho, Photino, Era Cleopatræ tonstrice, &
Charmio: ab his summam rerum administrari. Prodigia
ante bellum hæc euenisce perhibentur. Pisaurum colonia 15
ab Antonio ad Adriā deducta, terræ hiaticibus absorpta est.
De saxeis Antonii apud Albam statuis quædam sudore flu-
xit, qui nonnullis abstergentibus per aliquot dies non ces-
savit. Apud Patras Antonio commorante, fanum Herculis
de cœlo taetum conflagravit: Athenis Bacchus de gigan- 20
tomachia ventorum impetu excussus, in theatrum decidit.
Suprà autem demonstrauimus, Antonium genus suum ad
Herculem, vitæ institutum ad Liberum retulisse, & Bac-
chum iuniorem dictū suisse. Idem turbo in colosso Athe-
nis incumbens, solos Eumenis & Attali, qui Antonio inscri- 25
pti erant, de tanta multitudine euerit. Circa prætoriam
etia Cleopatræ nauim, quæ Antonias appellabatur, graue
ostentum factum est. hirundines enim infra puppim nidi-
ficarunt: has aliæ superuenientes expulerunt, & pullos eo-
rum interfecerunt. Copiæ Antonii haefuerunt: naues pu- 30
gnæ idoneæ haud pauciores quingentis, in quibus octire-
mes & decimenes multæ terribili & superbo ornatu: centū
peditum, & duodecim equitum millia: reges subditi auxi-
liabatur, Bocchus Africæ, Tarcondimotus superioris Cili-
æ, Cappadociæ Archelaus, Paphlagonia Philadelphus, 35
Commagenæ Mithridates, Sadales Thraciæ, præsentes o-
maes: auxilia miserant ex Ponto Polemo, ex Arabia Mal-
chus, nec nō Herodes Iudæus, & Amyntas Lycæoniacæ & Ga-
latiæ rex: aderat & à Medorū rege missum subsidium. Cæ-
sar naues ad prælium paratas habebat ccl. lxxx. pe-
ditum

Prodigia.

*Antonij**& Cesaris**copiæ.*

gnæ idoneæ haud pauciores quingentis, in quibus octire-
mes & decimenes multæ terribili & superbo ornatu: centū
peditum, & duodecim equitum millia: reges subditi auxi-
liabatur, Bocchus Africæ, Tarcondimotus superioris Cili-
æ, Cappadociæ Archelaus, Paphlagonia Philadelphus, 35
Commagenæ Mithridates, Sadales Thraciæ, præsentes o-
maes: auxilia miserant ex Ponto Polemo, ex Arabia Mal-
chus, nec nō Herodes Iudæus, & Amyntas Lycæoniacæ & Ga-
latiæ rex: aderat & à Medorū rege missum subsidium. Cæ-
sar naues ad prælium paratas habebat ccl. lxxx. pe-
ditum

ditum millia, & totidem quot Antonius equites. Suberant Antonio ab Eufrate & Armenia usque ad Ionium mare & Illyricum omnia: Cæsari quæ ab Illyrico usque ad occiduum Oceanum, & inde usque ad Tyrrhenum & Siculum magis re omnes prouinciae. Africam, quantum eius à Gadibus Hispaniæ, Galliæ & Italiae subtenditur, obtinebat: reliquum à Cyrena usque ad Æthiopiam, Antonius. Usque adeò autem addictus Cleopatræ fuit Antonius, ut cum peditatu longè quam hostis esset potentior, in honorem illius classè vi-

10 & toriam voluerit querere: idque, cum penuria remigum videret à magistris triremium ex misera & multa iam perpesta Græcia abripi viatores, agasones, messores, impuberes, ac ne sic quidem remigium constare, sed plerasque difficulter agi. Cæsar autem classem Tarenti Brundusijq; con-

15 tinens, nauibus instructam non ad altitudinis molisve ostentationem paratis, sed agilibus, celeribus, & socijs nauilibus defensoribusq; præclarè impletis, ad Antonium mittebat, venire eum cum copijs, neque tempus terere iubens:

20 se nauibus eius portus & stationes tutas præbiturum, & tandem spacio, quantum uno cursu confici ab equo potest, exercitum suum à littore dimoturum, dum tutò is exscensionem & castra faciat. Contra hæc Antonius arroganter Cæsarem, tametsi senior, ad singulare prælium prouocabat: si id subtersugeret, apud Pharsalum de summa rerum om-

25 nibus copijs decernere secum, ut antè Cæsar & Pompeius fecissent, iubebat. Interim Antonio apud Actium naues in statione tenente eo loco, ubi nunc est Nicopolis, transmisso Ionio mari Cæsar Torynam (Epiri locus est) occupat. Ibi Antonio perturbato, quod terrestres copiæ nondum adueni-
30 nissent, Cleopatra illudens, Quid, ait, tandem mali est, si Cæsar in Toryna consedit? Antonius autem manè hosti-
bus ad nauigantibus metuens ne iij naues ipsius propugnatoribus delitutas caperent, remiges armatos in tabulatis
35 constituit, ut iij conspecti, defensores putarentur: remigium quoque erexit & ad cursum iustruxit, & ex utraque parte faucium portus Actiaci proris in hostem conuersis naues constituit, tanquam ad pugnam promptas. Hoc quidem astu delusus Cæsar abiit. Aquam etiam scitè munitionibus quibusdam inclusit, eaque hostem arcuit, cum quæ circum sunt loca, neque copiosam & vitiosam haberent aquam.

kkk 5 Et

Et Domitium humaniter tractauit, inuita quidem Cleopatra. Cum enim is iam febricitas paruum lebūm conser-
disset, eoq; ad Cæsarem abijset, indignè ferens, omnia ta-
men impedimenta, vñā cum amicis & famulis, ei misit. Sed
Domitius, quasi cun̄ detectæ perfidiæ ac proditionis pœni-
teret, mox morte cum vita commutauit. Reges etiam Deio-
tarus & Amyntas ad Cæsarem defecerunt. Verum enimue-
rō classis ab omnibus rebus malè instructa, & ad omnem v-
sum incommoda, rursus Antonium coagit in terrestribus
copijs omnem spem collocare. Et Canidius adeò, dux illa-
rum, mutata ob præsens periculum sentētia sua sit, ut Cleo-
patra dimissa, in Thraciam vel Macedoniam se reciperet,
atq; ibi terrestri prælio decerneret: nam & Dicomam Ge-
tarum regem magna auxilia polliceri. Forrò autem non fa-
eturum turpiter Antonium, si Cæsari bello Siciliensi exerci-
tato, mari cederet: sed dignum reprehensione fore, si peri-
fissimus terrestrium pugnarum robore & apparatu tam nu-
metosarum copiarum vti nolit, sed eam in naues absumat.
Vicit tamen Cleopatra sententia, classi decertare iubentis:
iam enī ad fugam se componebat, idq; agebat, non quo-
modo ad victoriam plurimum conducerer, sed vt rebus e-
uersis quam facili mē euaderet. Erant à castis ad nauium
stationem longi muri brachiorum instar porrecti, per quos
Antonius crebro, nihil hostile metuens, transibat: eo Cæ-
sar, edoctus à quodam seruo posse Antonium capi transeun-
tem, misit qui eum interciperent. Ea res tam prop̄ confi-
cta, vt qui Antoniū præcedebat, eum ex insidijs coorti Cæ-
sariani apprehenderint, & Antonius vix cursu euaserit. Post
quam nauali prælio decernere placuit, Antonius omnes
naues cremauit, l x Ægyptiacis demptis: optimas autem &
maximas à deciremibus vsque ad triremes militibus imple-
uit, inque eas viginti millia grauis armaturæ militum im-
posuit, & duo sagittariorum millia. Cūn quidem tribu-
nus quidam (vt fertur) militum, qui Antonij auspicijs sa-
pè pugnas obiuerat, & plurima vulnera acceperat, præsente
Antonio lachrymas edidit, &, Cur, inquit, cicatricibus istis
& gladio huic diffidens, in malis lignis spem ponis impera-
tor? Ægyptij & Phœnices mari certeat: nobis terram da:
in ea stantes mori, aut vincere hostes consueuimus. Ad hæc
Antonius nihil respondit, manuque tantum & vultu in-
nuens,

tuens, debere eum bono esse animo, abijt, iam tum non op-
 putem sperans: quippe & rectores vela omittere volentes,
 coegerit in naues imponere, vsum eorum fore in persequen-
 dis hostibus dicens, quorū neminem fuga euadere esset pa-
 surus. Illa die, & quod insecum est eam triduo, magno
 vento agitatum mare pugnam remo:atum est. Quintō die
 cùm omnes venti posuissent, summaque esset tranquillitas,
 commissum est prælium. Dextrum cornu Antonius, & Po-
 plicola, lèuum Cælius tenebat, medium M. Octavius, & M.
 Iusticius. Cæsar autem sinistrum cornu Agrippa mandauit, *Attiacapne*
 dextro ipse præfuit. Peditatui Antoniano Canidius, Cæsa- *gnadefcri-*
 riano Taurus præfectus, aciebus in littore instructis quie-
 scabant. Antonius vadique circumiens, milites remis hæ-
 rentes hortabatur, ut nauium mol: freti, tanquam ex terra
 pugnarent, gubernatores, ut nauibus veluti stantibus sen-
 sim impetum hostium exciperent, & sibi ab iniuitate lo-
 corum apud fauces cauerent. Cæli autem, cùm nondum
 sublatis planè tenebris tentatio digressus circum naues
 ambularet, quidam asinum agens occurrisse traditur: isque
 interrogatus quis esset, respondisse, sibi Eutycho, asino Ni-
 coi nomen esse. est autem Eutychus Latinis fortunatus,
 Nico vincens. Eius omnis causa Cæsar, cùm locum istum *Omen.*
 rostris nauium ornaret, æreum asinum & hominem ibi po-
 suit. Cùm autem ordines specularetur, nauigio in dextram
 adiectus, miratus est hostes in fauibus se continere quietos:
 etenim is erat Antonianæ classis aspectus, ac si naues
 iactis ancoris flarent: idque aliquandiu ita esse Cæsar cre-
 didit, ob eamque causam mille ab hoste passibus suas conti-
 nuit. Sexta iam die hora erat, & ventus ab alto incumbe-
 bat, cùm Antoniani moræ impatientes, altitudine & mole
 suarum nauium freti, easque ab oppugnatione turas pu-
 tantes, lèuum cornu mouerunt. *Quod* ut vidit Cæsar, ga-
 uisus est, ac retrò auertere cornu dextrum suum cœpit, cu-
 piens extra sinū & fauces educere hostes, ut agilibus suis na-
 uibus circumueniret & oppugnaret hostium naues, mole
 sua & remigum defectu tardas. Comissa pugna, mutui nau-
 ium impetus ac collisiones nullæ fuerunt: nam & Anto-
 nij naues ob molem impetu destituebantur, qui maximè
 ictui nauis illis & alteri robur suppeditat: & Cæsariani non
 modò aduersis proris concurrere cum graibus & æratis
 rostris

rostris cauebant, sed ne in latera quidem audebant inuader-
 re. facilè enim rostra suarum nauium frangi videbant, im-
 pacta nauigis, quæ ex magis quadratis lignis ferro com-
 pactis constabant. Pedestri itaque prelio, aut verius oppu-
 gnationi murorum similis erat pugna, cùm tres simul aut
 quatuor naues Cæsari næ vnam Antonianam circumdan-
 tes, pilis, hastis, contis, & facibus ardentibus oppugnarent;
 Antoniani etiam balis à turribus ligneis tela torquerent.
 Cùm verò Agrippa alte um cornu ad circumueniendos ho-
 stes obduceret, Poplicola contrâ tendere coactus, à medijs ¹⁰
 abruptus est. Qui cùmperturbati cum Aruntio congre-
 dentur, incertoque adhuc pugnaret euentu, subito sexaginta Cleopatrae naues sublatis velis fugere per medios pu-
 gnantes conspectæ sunt. Constituta autem fuerant post
 magnas naues: itaq; tumper eas se propipientes, suos cōtur-
 babant: hostes autem mīrati quidnam rei esset, secundo eas
 vento versus Peloponnesum tendere animaduerterunt. Ibi
 verò Antonius ostendit se neq; imperatoris, neq; adeò viri
 animum gerere, imò autē ne sui quidem ipsius animi com-
 potem: sed ut quidam ioco dixit, animum amantis in alieno ²⁰
 viuere corpore, ita sc̄ à Cleopatra totum pendere, & vna
 trahi atque abripi, perinde ac si corpori eius inoleuisset. Si-
 mul enim & vidit nauem eius abuehi, & omnium illicè ob-
 litus, proditis desertiisque ijs, qui pro ipso pugnabant, mor-
 temq; oppetebant, quinquiremē conciderit, solis Alexan- ²⁵
 dro Syro & Scellio comitantibus, eam qia ipsum & seip-
 sam perdidere fecutus est. Illa signo à nauelato eum præ-
 stolata est. Receptus in nauim, neque ipsam consperxit, neq;
 conspiciendum se dedit, sed in proram solus cōcessit, ibiq;
 tacitus vtraq; manu caput tenens assedit. Inter m Liburni- ³⁰
 des Cæsaris insequentes apparuerunt. Iussit igitur proram
 hostibus obuerti: & cùm reliquias repulisset, Euycles Laco
 acriter admodum instituit ei, stans in tabulato, & hastam vel-
 ut in ipsum coniecturus vibrans. Is cùm è prora interrogas-
 set Antonius, quisnam ille esset, qui adeò se persequeretur, ³⁵
 Euycles, inquit, sum Lacharis F. & nunc fortuna Cæsaris
 ad persequendam patris mei iniuriam vtot. Lachares au-
 tem prædationis accusatus iussu Antonij securi percussum
 fuerat. Veruntamen non inuasit in Antonij nauim, sed alte-
 ram prætoriam nauim (duæ enim erant) æreo rostro iactam
 circum-

circumegit, eamq; in latus versam cepit, aliamq; cum pre-
 ciosa supellecstile. Euryele euitato Antonius priori gestu re-
 cepto quietus in prora consedit, totumq; solus ita triduum,
 quo Tænarum peruentum est exegit, siue iratus Cleopatre,
 siue eius verecundia. Tænari mulieres familiares primùm
 ad colloquium eos, inde vt vnā cœnarent & cubarent per-
 traxerunt. Iam cōdem etiam multæ paruæ naues, & quidam
 amicorum conueniebant, nunciantes classem perijisse, ter-
 restres autem copias adhuc ipsis videri integras. Itaque An-
 tonius ad Canidium scribit, vt exercitum quām primūm
 per Macedoniam in Asiam traducat. Ipse à Tænaro in A- *Antonij in*
 fricam traiecturus, nauim onerariam multa pecunia, au- *amicos si-*
 reaque & argentea supellecstile regia onustam amicis dono *des.*
 dat, iubens ea inter se partiri, & saluti suæ prospicere: renu-
 entes, & flentes, per quam benignè & humaniter consolatus
 & deprecatus dimittit: Theophilo etiam, quem procura-
 torem Corinthi habebat, scribit, vt viros istos occultet, se-
 curitatemq; eis præbeat, dum à Cæsare veniam impetrant.
 Hic Theophilus Hipparchi pater fuit, eius qui plūrimum
 apud Antonium potuit, primusque libertorum ad Cæsa-
 rem transiit, ac deinde Corinthi habitauit. Apud Actium
 verò cūm classis Antoniana diu Cæsari restituisse, & maximè
 afflcta fluctibus fuisset qui ad proras magni ingruebant,
 decima tandem diei hora succubuit. Mortui sunt haud plu-
 res quinque millibus, captæ naues C C C, vt ipse Cæsar scri-
 bit. Ut verò de fuga Antonij cognitum est, primò id incre-
 dibile videri, eum nouendecim legionibus peditum, duo-
 decim millibus equitum integris etiamnum relictis aufu-
 gisse: quasi vero non sēpe ante fortunæ vim in vtranque
 partem expertus, neque permultis certaminibus bellisq; que
 mutationem eius pericitatus fuisset. Milites autem & de-
 siderabant absentem, & sperabant eum ad ipsos alicunde
 aduenturum: adeoque iam cognita fuga, tantum fidei &
 virtutis ostenderunt, vt septem totos dies spretis Cæsaria-
 nis legionibus in castris permanserint. Postquam Cani-
 dius etiam noctu clām profugit, destituti ab omnibus, &
 prodiit à ducibus, ita demum ad victorem concesserunt.
 Secundum hæc Cæsar Athenas nauigavit, & cum Græcis
 reintegrata gratia, frumentum quod a bello supererat, vr-
 bibus diuisit, miserè affectis, pecuniaque, & mancipijs atq;
 iumentis

iumentis spoliatis. Etenim proauus noster Nicarchus referre solebat, vniuersos suos ciues coactos fuisse dimensum frumenti humeris ad mare quod est apud Anticyram deportare, flagellis incitatos: cumq; semel hoc fecissent, & iam secundū onus dimensum essent sublati, de Antonij clade allatū nuncium saluti vrbi fuisse: statim enim procuratoriis eius & militibus fuga dissipatis, ipsos inter se commeatum partitos. At Antonius cum Africam attigit, præmissa à Parætonio in Ægyptum Cleopatra, abundè solitudine perfruebatur, oberrans cum duobus solis amicis, Aristocra-
te rhetore Græco, & Lucilio Romano: quem alibi demonstrauimus apud Philippos vt Bruto effugiendi facultatē pararet, se Brutum tulisse, & insequenteribus in manus tradidisse, seruatumq; ab Antonio, summa hunc fide vsque ad extrellum coluisse. Cūm verò in Africa etiam copias ab ipso
ducis, earū impulsu defecissent, seipsum interficere voluit,
sed ab amicis prohibitus est. Vt Alexandria peruenit, Cleopatram reperit opus arduum & ingens aggressam. Intenderat enim naues per Isthmum qui rubrum mare ab Ægyptio distinguit, videturq; Asia & Africa limes esse, qua
is maximè vtroque mari arctatur, & strictissimus c. c. stadiorum latitudine patet, classem transferre in Arabicum sinum cum exercitu & magna vi pecunia, ibique seruiture & bello euitato habitare. Sed postquam naues, quæ pri
mæ è tractæ fuerant, Arabes circa Petram habitantes
combuserunt, cùm etiam Antonius putaret copias apud Aetium suas integras esse: dimisit eum conatum, & adiutii in Ægyptum occludendo se dedit. Antonius vrbe & amicorum consuetudine omissa, aggere in mare apud Pharam immisso, habitationem sibi maritimam confecit, in
eaque exul hominum degebat, Timonis vitam se imitari eaque delectari dicens, eademq; perpeßum: nam se quoque ab amicis malam gratiam referentibus affectum iniurijs, omnes homines odisse, omnibus diffidere. Fuit is Timon Atheniensis, & tempore belli Peloponnesiaci vixit, 35
vt ex Aristophanis & Platonis fabulis appetat: ab his enim traducitur vt morosus, & osor hominum. Is Timon, cùm omnium hominum congressum vitaret atque aspernaretur, solum Alcibiadem iuuenem tunc ferocientem salutabat benignè, atque amplectebatur: & Apemanto miranti,

*Cleopatra
conatus.*

cau-

causamque percontanti, Amo, inquit, adolescentem, quod cum noui Atheniensibus multorum malorum causam fore. Apemantum enim istum, ut similem sui, & eiusdem vitæ sectatorem, aliquando ad se admisit: & semel cum Chœphorica sacra celebraretur, vñā duo isti cœnauere. cum quidem Timon Apemanto dicenti, præclarum esse id conuiuum, respondit: Et verò, siquidem tu abesses. Fertur aliquando frequenti Atheniensium cœnacione suggestum concendiisse: cumque omnes nouitate rei suspensi, taciti cum intuerentur, & magnum quipiam expectarent, ita locutum: Viri Athenienses, paruuus est mihi agellus, in eoque fucus, de qua se permulti ciuium haec tenus suspenderunt. cum itaque statuisse ibi ædificare, publicè volui edicere, vt, si qui vestrum velint, suspendant se antequam sicut excindatur. Mortui corpus Halis sepultum est, iuxta mare: & littus procurrens subsedit, fluetusq; erupit eò, & inaccessum hominis sepulcrum fecit. Inscriptio hæc fuit:

Hic iaceo in usque abrupto spiramine vita:

Qui sim, ne rogitate: mali male sed pereatis.

20 Hanc quidem ipsū sibi fecisse dicunt: Callimachi hoc est quod circumfertur:

Hic habito Timon, hominum osor: tu modo perge,

Dira precare mihi plurima, perge modo.

Hæc de Timone, de multis perpaucis. Canidius autem ipse amissi ad Ägiū exercitus nuncium Antonio attulit: simulque annuciabatur, Herodem cum legionibus aliquot & cohortibus ad Cæsarem transiisse: defecisse etiam ceteros regulos, neq; extra Ägyptum quicquam fidi esse. Nihil his perturbatus, sed quasi gauderat se eum sollicitudine *ad luxum* simul spem posuisse, maritimo suo domicilio, quod Timo- redit. neum nominabat, reliquo, in regiam est à Cleopatra adscitus, urbem constituijs & donis repleuit. Filium Cleopatræ & Cæsaris in ephebos retulit: Antyllo suæ & Fuluiæ filio virilem togam dedit: ob hæc Alexandriae per aliquot dies consuuiia & festivitates celebratae. Ipse & Cleopatra viræ genere, quod Inimitabile dicebatur, dimisso, aliud instituerunt, quod mollicie, luxuque & delicijs illi minimè coacerderet, eamq; vitam Commorientium appellabant: amici enim se inter vñā morituros adscribebant, & per ordinem redeuntibus cœnis genio seruiebant. Cleopatra autem lethalium

vene-

venenorum omnigenas copias comparabat, & quam nullo aut leui dolore vnumquodque eorum mortem adferret, in ijs qui capitis damnati afferuabantur periclitabatur. Cum vero deprehenderet ea, quæ celeriter necant, magnum dolor secum trahere, leuiora autem celeritate carere, bestias etiam explorauit: ipsaque inspiciente, alij alia admota est. Id quotidie factans, inter omnes propè vnicum aspidis morfum animaduerit absque conuulsione & gemitu grauem soporem & quasi veternum inducere, sudoremq; mollem in facie, & sensuum hebetationem, quibus detenti facile elangueret, & se excitari aut moueri egrè ferrent, veluti qui alto somno pressi iacent. Interim ad Cæsarem legatos in Asiam mittunt, Cleopatra liberis suis regnum Ægypti

Legatio ad Casarem. petens: Antonius, ut sibi priuato Athenis, si non in Ægypto, liceret viuere. Penuria autem amicorum, & perfidia, ad Cæ-

sarē subinde transeuntium, legare coactus est Euphronium liberorum suorum magistrum. (Alexas enim Laodicensis

Persidia punita. Romæ Antonio cognitus opera Timagenis, & in summo de Græcis omnibus honore habitus, qui omnium instrumen-

torum, quibus Antonium Cleopatra subruit, validissimum fuerat, & sana consilia, quæ in eius animo de Octavia ste- terant, euerterat, missus tum ab Antonio ad Herodem, ut cum in fide retineret, prodiit Antonio huic se adiunxe- rat: eoque fretus, ausus erat in conspectum Cæsaris venire.

Tametsi nihil ei profuit Herodes, quin statim in vincula conditus Laodiceam deportaretur, ibique iussu Cæsaris ne-

caretur, & viuente adhuc Antonio perfidiæ sua meritas poe- nas persolueret.) Cæsar Antonij legationem non admisit:

Cleopatræ respondens, omnia æqua pollicitus est, si vel ne- casset, vel eiecisset Antonium: misitque vna Thyreum li-

bertum suum, hominem haud ineptum, neque imperitum subseruendi imperatoris iuuenis mandato ad mulierem fastuolam & mirificè formâ sua superbientem. Is Thyreus

cum prolixius atque reliqui cum Cleopatra colloqueretur, & in maximo haberetur honore, mouit Antonio sinistras

suspiciones: isque eum correptum flagris cecidit, & ad Cæ- sarem remisit, scribens in hanc sententiam: Insultans mihi, & me contemnens Thyreus iritauit, alioquin iritabi- lem ob aduersas res: quod si id factum grauius fers, habes

meum libertum Hipparchum, hunc suspende, & flagella, vt par

par reddas. Porrò autem Cleopatra Antonium suspiciones cius & offensas diluens, summo studio demeruit: cumque suum natalem intra modum, & fortunæ conuenienter celebrasset, ipsius natalicia immenso splendore & sumptu egit: ita ut multi eorum qui ad cœnā vocati pauperes venissent, diuites discesserint. Cæsarem interim Agrippa crebris literis Romam reuocabat, quod res vrbis præsentiam eius flagitare diceret: quo factum est, ut bello tempus producetur. Exacta hyeme Cæsar rursus per Syriam, legati eius per Africam in Ægyptum duxerunt. Capto Pelusio, rumor ex-
 tit vrbem eam a Seleuco non iniussu Cleopatræ deditam: *Cæsar is belum in ægypto.*
 Cleopatra autem vxorem eius & liberos Antonio necandos præbuit: ipsa cum haberet cellas & monumenta pulchritudine & altitudine insigni extructa apud fanum Isidis, cui ea erant annexa, eò regia gaza præcipua concessit, aurum, argentum, smaragdū, vñiones, ebnum, ebur, cinnamomum: tum faces stupamque multam: ita ut Cæsar veritus ne rebus desperatis mulier tantas opes incendio aboleret, semper missis nuncij bonam spem ei ostenderit, atque ipse interim exercitū ad Alexandriam duxerit. Cum apud circum castra posuisset, Antonius egressus præclarè pugnauit, fusosq; Cæsaris equites vsq; ad castra est insecutus. Hac elatus victoria, in regiam adjit, & armatus Cleopatram osculatus est: atq; hunc, cuius præcipua eo proelio fuerat virtus, ei commendauit: quem Cleopatra aureo thorace & galea donauit. is que ea nocte cum præmijs suis ad Cæsarem perfugit. Rursum Antonius Cæsarem misso nuncio ad duellum prouocauit: cumque is respondisset, Antonio multas ad mortem vias patere, sentiens nullam quā prælio honestiore mor-
 tis oppetendæ rationem esse, statuit terra matiq; cum hoste congregdi. Itaque fertur in cœna familis iussisse ut alaciū infunderent, quod incertū esset, an idem cras facturi essent, an verò ipso mortuo, & ad nihilum redacto, alijs dominis ministraturi. Lacrymantes autem ad hoc amicos cernens,
 35 dixit se non ducturum ad pugnam, qua mortem potius honestam, quam salutem & victoriam sit quæsturus. Ea nocte perhibent iam media, cum ciuitas futuri metu expectatio-
 neq; tristis ac tacita quiesceret, subito omnis generis instru-
 mentorum cantus concinno exauditos esse, clamoremq;
 multitudinis ouantis, & choreas Satyricas ducentis strepi-
Prodigiū.

tum tumultumq; grassatum autem per medium urbem vi-
 que ad exteriorem vrbis portam , quæ hostibus obuerteret-
 tur: ea tumultum excidisse , cum quidem fuisse maximus.
 Id ostentum ita interpretatur, Antonium tum à Deo, quem
 maximè imitatus fuerat, desertum fuisse. Orto sole pedita-
 tum Antonius in tumulis ante urbem collocauit, nauesque
 suas quietus spectauit, quæ aduersus hostiles subuerteban-
 tur, sperans eas aliquod facinus edituras. Sed Antoniani cū
 prope Cæsarii classem venissent, eam salutarunt, salutatiq;
 vicissim Cæsarianis se adiunxerunt: & vna de duabus facta 10
 classis, ad urbem proris cōuersis accessit. Statim etiam equi-
 tatus Antonium desistuit: victusque pedestri confictu, in
 urbem rediit, vociferans se à Cleopatra ijs proditum , quos
 propter ipsam hostes cepisset. Cleopatra autem iram eius
 timens, & rebus desperatis insaniam, in sepulchrum confu-
 git, & validis seris ac obijebus munitum ostium penile de-
 misit, missis ad Antonium, qui morte obiisse ipsam renun-
 ciarent. Antonius ita esse rem credēs, hæc ad seipsum: Quid
 præterea cum Cæsar Antoni? solam vnicamque causam, cur
 vivere cuperes, fortuna abstulit. Statimq; ingressus in con- 20
 clave, thoracem soluit, atq; dimouit, &, O Cleopatra, in-
 quiruit, non dolet mihi quod te spoliatus sum: mox enim ad te
 perueniam: sed quod tantus imperator animi fortitudine à
 muliere vietus sum. Erat Antonio seruus, nomine Eros, quæ
 iam pridem hortatus fuerat, ut iussus ipsum interficeret. Is 25
 cum id quod olim in se receperat, tum præstare iubetur,
 stricto gladio, cum Antonium videretur iæturus, auerso vul-
 tu se ipsum confudit, & ad heri pedes accidit. Tū Antonius:
 Bene, inquit, ô Eros, qui quod facere nō poteras, mihi quo-
 modo faciendum esset ostendisti: simulque vulnus sibi in 30
 ventrem iugessit, & in lectum se demisit. Verum ea pla-
 ga non statim exanimatus fuit: itaque impetu sanguinis, vt
 decubuit, represso, viribus resumptis præsentes orauit, vt se
 iugularent. Illi verò è domo profugerunt, clamantem at-
 que calcitrantem relinquentes: tandem Diomedes scriba 35
 venit, missus à Cleopatra, iubensque eum ad ipsam adser-
 ri. Antonius Cleopatram vivere cognito , statim tollen-
 dum se famulis præbuit: manibusque eorum ad forenses
 que domiciliij, in quo ea erat, portatus est; Cleopatra fori-
 bus non apertis, de fenestra se conspiciendam præbuit: ca-
 tenisq;

Antonij
 incertus.

tenisq; & funib; demissis, ijs implicatum ipsa, & duæ quas
solæ lœcum in monumentū receperat mulieres attraxerunt.
Qui interfuerunt, nullum eo miserabilius spectaculū exti-
tisse asserunt. Sanguine enim repletus, & moribundus in al-
tum attrahebatur, manus Cleopatrae intendens: non enim
facile id opus mulieribus fuit, sed & grē omnino Cleopatra
manibus funi innexis ptona in faciem in sublime pertraxit,
acclamantibus qui infā abstabant, hortatuq; communem
anxietatem testantibus. Postquā eum accepit, & reclinavit,
10 vestes super eo suas discedit, pectus percussit, manibusq; la-
niauit, faciem sanguine cius inquinauit, dominū eum inuo-
cans, & maritum, & imperatorem: suorumq; propè oblita
est malorum præ eius miseratione. Antonius cùm lamenta-
tionem eius sedasset, vinum poposcit, incertum an sitiens,
15 an eò citius se animam exhalaturum sperans. postquam bi-
bit, hortatus eam est, vt suis rebus, quantum citra dedecus
posset, consuleret, & ex omnibus Cæsarī amicis Proculeio
potissimum fidem haberet: ipsum verò ob extremam hanc
mutationem non lugeret, sed beatum potius prædicaret,
20 tot bonis perfunctum, & clarissimam famam adeptum,
summamque potentiam, nunc quoque citra turpitudi-
nem victum, Romanum à Romano. Vixdum expirauerat,
cùm à Cæsare missus Proculeius adfuit. Nam simul atque
Antonius vulnere sibi illato ad Cleopatram gestatus fuit,
25 Dercetaus quidam stipatorum pugionem eum occultè ab-
ripuit, & ad Cæsarem clam accurrit: primusque ei de An-
tonij obitu retulit, cruentum ostendens pugionem. Cæsar
eo nuncio accepto, in tentorij parte interiori substitit: de-
plorauitque virum, collegam quondam suum & affinem,
30 præterea multorum bellorum ac negotiorum socium. Li-
teris deinde arreptis, amicos conuocauit, & coram ijs reci-
tauit, vt viderent, quam iusta & equa ipse scripsisset, & quam
superbè semper Antonius respondisset. Proculeium deinde
misit, mandans, vt si qua ratione posset, Cleopatram vi-
35 uam in potestatem redigeret: nam & pecunia eius metue-
bat: & triumpho suo plurimum gloriæ accessurum intelli-
gebat, si ipsam in eo duxisset. Sed Cleopatra manibus Pro-
culeij se credere noluit: ad fores in plano fitas aggressus, va-
lidè admodum munitas, voci tamen peruias, collocutus est
cum ea in monumento se cōtinente. Petebat autem liberis

suis regnum, Proculeio consolante, & vt Cæsari omnia crederet iubente. Ut verò loci naturam speculatorus, Cæsari rem detexit, tunc Gallus missus est qui cum ea colloqueretur: cumq; is ad fores adstans, sermonem de industria traheret,

Cleopatra capitur. interim Proculeius admotis scalis ad fenestram, quâ recepsit fuerat Antonius, eus sit cum duobus famulis: statimq; ad fores ipsas, ubi adstebat Cleopatra, descendit. Illa, altera vna inclusatum mulierū vocerante, Viua caperis o misera Cleopatra, cōuersa vti dicit Proculeium, sica, qua tum forte accincta erat, ferire seipsum intendit: sed Proculeius celeriter accurrens eam utraq; manu corripuit, & Teipsam, Cæsaremq; iniuria afficis, insignem ei humanitatis sue demon strandæ occasionem præcipiens, & perfidiae implacabilitatisq; insimulans clementissimum imperatorem: simul & gladium ei ademit: & vestem, ne quid veneni occultaret, excus. 15 sit. Missus est etiam a Cæsare Epaphroditus libertus: cui iniunctum erat, vt viuam eam omni cura adseruaret, cætera omnia quam iucundissima ei præbereret. Ipse autem Cæsar Alexandriam inuenitus est, cū Arcio philosopho colloquēs, dextramq; eius tenens, vt diuinio in honore ab ipso habitus, statim in oculis ciuiū admiratione q; esset. Gymnasium deinde in gressus, suggestum ad id eretum concendit: Alexandrinisque metu consternatis, & ad terram collapsis, surgere iussit. Omni se culpa liberare populum dicēs, primū ob Alexandrum urbis autorem, deinde ob admirabilem vrbis pulcritudinem, tertio in gratiam Arij amici. Hoc honoris propter Cæsarem adeptus est ARIUS, multosq; etiam alios seruauit. Horum vius fuit etiam Philostratus, ad dicendum ex tempore vt quisquam alias istius ætatis rhetorum paratissimus, sed qui se inter Academicos importunè ingereret: itaque Cæsar etiam mores eius abominans, preces aspernabatur. Ille verò canam demitres barbam, & pullum amictum gerens, Arium à tergo sequebatur, hunc identidem versum occinens,

35
Sapiens sapientibus est salutis si sapit.

Quod cùm esset ad Cæsarem allatum, magis vt Arium innidia, quam metu Philostratum liberaret, hominem missum fecit. Deliberis autem Antonij, Autyllus Fulvia natus, à Theodoro pædagogo traditus ad necem est. Cuius cùm caput milites amputassent, gemmam preciosissimam, quam in collo

in collo gestauerat, surripuit Theodorus, cinguloq; insunt: cumque eam se habere negaret, & manifestus furti factus esset, in crucem actus est. Liberi Cleopatræ cum alumnis in custodia liberaliter habiti sunt. Cæsarem verò, cuius pater Julius Cæsar ferebatur, à matre cum magna vi pecunia per Æthiopiam in Indiam amandatum, Theodoto similis pædagogus Rhodon ut rediret persuasit, à Cæsare eum ad regnum accersi dicens. Deliberante super eo Cæsare, Antonius dixisse ficeretur:

10 Hand equidem expediet ibi multos Cæsaras esse.

Hunc itaq; post Cleopatræ interitum occidit. Multis verò regibus, multis ducibus Antonium ad sepulturam perentibus, cadauer eius Cleopatræ non præripuit: sed illius manibus tumulari passus est, regio luxu, omnia quæ vellet sup15 peditans. Illa cùm ex luctu tanto & doloribus (nam pectus ob ictus intumuerat, & exulcerabatur) in febribus incidisset, gauisa est eo se prætextu cibo abstinenti, & vita se nemine obstante priuandi facultatem naclam: & Olympo medico familiari suo re indicata, eum consultorem & adiutorem in 20 consumendo corpore suo habuit, vt ipse Olympus edita harum rerum historia testatur. Cæsar cùm id sensisset, minas de nece filiorum obiecit: quibus ea quasi machinis subrata, corpus curandum alendumq; yolentibus præbuit. Panis pòst diebus ipse Cæsar eam colloquendi & consolandi 25 causa adjicit. Recumbebat tum lectulo humi strato: ingredi soque Cæsare exiluit, & ad pedes eius acecidit, vnicā tantum tunica velata, caput & faciem grauiter scredata, voce tremula, oculis colliquatis, multisque in pectore verberum & vnguium notis extantibus, atque corpore quā animo 30 haud leuius affecto. Gratia tamen & proteritas formæ haud planè extincta erat, sed sic quoque afflcta elucebat ē vultu. Cùm recumbere eam Cæsar iussisset, & iuxta assedisset, orsa quidem excusationem quandam est, metu & vi Antonij acta, quæ egisset, dicens: singula autem Casare refel- 35 lente, victa ad depreciationem se conuertit, sumمام vitæ cupiditatem p̄fē ferens: tandem consignationem reconditarum pecuniatum ei tradidit. Ibi cum Seleucus quidam, vñus de procuratorib. eam argueret, quod subtraxisset quædam; exiluit, crinibusq; arrepto pugnos in faciem ingessit: subridente Cæsare, & eam inhibente, An non indignum

*Cæsaris cū
Cleopatra
colloquiu.*

est, inquit, & Cæsar, facinus, cùm tu me ita miseram conuenire & alloqui dignatus sis, seruos meos audere me accusare, quòd de mundo muliebri aliquid reservátim? non profectò, id mei ornanda caula, sed vi Octaviae & Liuiae tuæ ijs munusculis datis, earum opera te clementiore utar. 5 Gratus is sermo Cæsari fuit, omnino eam viuere cupere putant: itaque id modò fatus, se ei cum hoc liberum facere, tuum spe maiorem suam humanitatem ipsam experturam, abiit deceptus, cùm se ei imposuisse ipse opinaretur. Erat inter amicos Cæsaris Cornelius Dolabella, illustris iuuenis: is Cleopatre, cui non nihil cupiebat, claram missio nuncio indicat, Cæsarem per Syriam terrestri itinere redditum parare, ipsamque cum liberis tertio die amandaturum. Quo ea accepta nuncio, precibus à Cæsare impetravit, vii sibi liceret Antonio parentare. Allata ad sepulcrum, vñā cùm familiariis 15 mulieribus ad tumulum eius accidit, Nuper, inquit, mi Antoni, liberis te manibus sepelij, nunc inferias serua fero, & in custodia habita, ne corpus meum, quod ad triumphum de te agendum seruatur, planctu & luctu dehonestem. 20 A lios porro honores, alia iusta ne expectaueris: hæc tibi postremum peragit Cleopatra. Etenim viuos nos nihil diuulgit: periculum autem est ne morte nostra loca permuteamus, vt tu Romanus hic, ego infelix in Italia iaceam, hoc vnum de tua patria nacta. Quòd si qua tamen Romanorum Deorum (nostrí enim nos prodiderunt) vis est, & virtus, te 25 obsecro, ne me dimittito viuam tuam coniugem: neque patere ex te in meo corpore triumphari, sed hic me tecum absconde, & sepeli: nam de innumeris quæ passa sum malis, nihil mihi fuit graue ita atque durum, quam exiguum illud temporis spacium, quo sine te vixi. Hæc lamentata, tumulum coronauit ac deosculata est, sibiq; lauacrum parati iuficit. Postquam lauit, splendido apparato prandio accubuit. 30 Interim ab agro quidam venit, cistam portans, interrogatusque à custodibus quid ferret: aperiens eam, & folia dimouens, sic cubus repletum vasculum ostendit: mirantesque paleritudinem & magnitudinem carum, ridens accipere de ijs si vellent iussit: itaq; facta fide int̄ò afferre iussus est. A prandio Cleopatra tabulam conscriptam & obsignatam ad Cæsarem misit: reliquisque, præter duas ias, de quibus supra mentio est facta, mulieres remotis, fores clausit. Cæsar cùm

*Cleopatra
luctus.*

cum apertis literis lugubres deprecationes legisset, orantis
 yrerna cum Antonio sepeliretur, statim quid actum esset intellexit: ac primus ipse statuit accurrere: deinde mutata sententia alios eò adire, & quid rei esset, explorare iussit. Sed acta res celeriter fuit. Cum enim cursu ad eges perrexissent,
 & custodes nihil sensisse inteligerent, foribus apertis, Cleopatram mortuam in auro lepto recumbentem offendiverunt, regio ornata. De mulieribus altera, Eiras nomine, ad pedes eius animam agebat: altera, cui Charmium fuit nomen, 10 tubans iam & capite nutans diadema in capite Cleopatrae componebat. cui cum iratus quidam diceret, Haccine pulchra ò Charmium? Sanè, inquit, pulcherrima, & digna tot regum progenie. nulloq; præterea verbo emissio, exanimis ad culiciram accidit. Traditione est aspidem iussu Cleopatrae finis.
 15 cubus & folijs ita obtectam allatam fuisse, vt serpens ipsius ignorantis corpus inuaderet: itaque vt eam sic cubus dimotis conspexit, dixisse. Hic ergo est illud? & nudatum brachium mortui exhibuisse. Alij in seria inclusam aspidem adserunt dicunt, & aureo fuso à Cleopatra irritatam brachium 20 arripuisse. Quid verum sit, nemo nouit: quando id quoque memoratur, eam venenum in fistula contentum capillis suis tecta gestasse. Cæterum neque macula in corpore villa, neque aliud veneni signum apparuit, neque aspis reperta est: tractus modo vestigia aliquot apud mare, qua id domus
 25 & fenestrae respiciunt, visos aiunt. Quidam in brachio Cleopatrae duas tenues & obscuras puncturas conspectas perhibent, quibus & Cæsar videretur assensus: nam in triumpho Cleopatra imago, & anguis brachio inhærentis illata est. Enimvero Cæsar, quanquam morte Cleopatrae magnum 30 cepisset dolorem, indolem tamen eius admiratus est, seperliisque eam cum Antonio splendidè regioque ornatu iussit: eiusdem iussu mulieres etiam honorificè sepulta. Morsua est Cleopatra, annos nata xxxix, ex quibus viginti duo regnauit, socia regni amplius quatuordecim fuit: Antonius sex, aut (ut alij volunt) tres supra quinquagesimum annos vixit. Huius statuae deiecitæ sunt: quod idem ne Cleopatra etiam statuis accideret, Archibius quidam eius amicus mille talentis à Cæsare redemit. Fuerunt Antonio ex tribus uxoribus septem liberi: de quibus solus Antyllus, natu maximus, est à Cæsare interfactus: reliquos Octavia cum

Cleopatra
mors.

Posterioritas
Antony.

suis educavit, & Cleopatram Cleopatra natam Iubæ regi
venustissimo nuptiū dedit. Antonium verò Fuluiæ F. cō eue-
xit, vt cum apud Cæsarem primus locus Agrippæ, secundus
Liuiæ filijs esset, is tertium obtineret. Cum verò ex Marcell-
io duas haberet filias Octavia, & vnum filium Marcellum,
hunc Cæsar sibi simul & filium & generum adscivit: familiarum
alteram Agrippæ matrimonio coniunxit. Sed posteaquam
Marcellus, nuper admodum celebratis nuptijs, fato obiit,
neque Cæsari fidelem generum de reliquis amicis diligere
in promptu fuit, ei & Agrippæ Octavia persuasit, vt hic Cæ-
sar is filiam duceret, Marcella dimissa: quam Antonio col-
locavit. Duæ supererant Antonij & Octaviae filiae: harum
alteram Domitius Aenobarbus, alteram pudicitia & for-
ma nobilem Antoniam Drusus Liuiæ F. Cæsaris priuignus
duxit, & ex ea Germanicum atq; Claudium genuit. ex his
Claudius posterius imperium tenuit. De Germanici liberis
Caius cum haud diu imperasset, vna cum vxore & filia est
occisus: Agrippina cùm ex Aenobarbo filium L. Domitium
fustulisset, Claudio Cæsari nupst, qui & filium eius adopta-
uit, ac Neronem Germanicum appellauit. Is Nero nostra
ætate rerum potitus, matrem necauit: parumq; absuit quin
sua vœcordia Romanum imperium pessundaret. Quintus
ab Antonio ratione stirpis fuit.

DEMETRII ET ANTONII

comparatio.

25

Potentia. Cùm vterque horum maximas sit rerum expertus vicissi-
tudines, primo loco eorum potentiam & amplitudinem ex-
pendamus. Ea Demetrii paterna fuerunt, & iamantे par-
ta: quippe inter Alexandri successores plurimum Antigo-
nus potuit, & maiorem Asiæ partem, antequam Demetrius
adoleuisset, occupauit. Antonius verò patre, egregio qui-
dem viro, sed neque bellis claro, neque magnum yllam
ad gloriam momentum suis relinquente natus, ausus est
Cæsaris imperium, nihil ad se propinquitatis ratione per-
tinens inuadere, & hæreditatem eorum quæ maximis ille
laboribus parauerat, sibi vindicare. Et quidem fretus his,
quæ in scipio deposita habebat, cō vsque processit, vt vniuer-
so Romano imperio in duas portiones distributo, alteram
ipse delegerit, illustrioremque earum nactus sit: absensque
admi-

administratorum & legatorum opera Parthos aliquoties vi-
cerit, & ad Caucasum accolentes gentes barbaras vsque ad
mare Caspium repulerit. Testantur ipsius magnitudinem
& ea, ob quæ male audiuimus. Nam Antigonum non pœni-
tuit Philam Antipatri filiam Demetrio ut præstantiorem
impari ætate coniungere: Antonio Cleopatræ connubium
vitio est datum, mulieris quæ potentia & splendore omnes
eius ætatis, excepto Arsatice, reges antecelleret. Ita verò
suam ipse amplificauit potentiam, vt aliis maioribus et-
iam, quæm appeteret, rebus dignus videretur. Porrò in-
stitutum imperii adipiscendi in Demetrio reprehensione *Cupiditas*
vacat, qui regnum obtinere in homines regi assuetos, & re-
gem desiderantes cuperet: Antonii iniqua fuit & tyrannica
dominatio. cupiditas, populum Romanum in seruitutem redigendi,
quæm nuper Cæsar's morte effugisset. Et verò bellum con-
tra Cassium & Brutum, quod omnium ipsius facinorum
maximum est & nobilissimum, eripiendæ ciuibus & patriæ
libertatis causa ab eo gestum est. At Demetrius etiam prius
quæm fortuna ipsi necessitatim imponeret, Græciæ libe-
randæ, præsidisque ex urbibus depellendis operam im-
pendit: cum Antonius se occidit in Macedonia, Romæ li-
beratoribus iactauerit. Iam liberalitate, ob quam vni-
Liberalitas cè laudatur Antonius, ita fuit à Demetrio superatus, vt hic tas.
hostibus largitus sit, quæ ne amicis quidem ille. Laudi sa-
nè datum Antonio fuit, quod tegi & sepeliri Brutum iuf-
fisset: at Demetrius & cæsos hostes vniuersos humauit, &
captos vñâ cum pecunia & muneribus Ptolemæo remisit.
Fuit quidem vterque rebus secundis voluptatibus, deli-
ciis & libidini obnoxius: veruntamen Demetrium nemo
dixerit iis indulgentem, rerum interim gerendarum vllas
occasionses amisisse. Etenim abundantiae, ocii voluptates
adiungebat: & Lamiam suam, veluti eam quæ in fabulis
est, animi causa oscitabundus ac ludens tractabat: bello
instante, non hedera cingebarur hasta eius, neque vnguen-
tum olebat galea, nec nitidus floridus ex gynæceo ad
pugnam prodibat: sed sopitis choris, & orgiis Bacchi, mi-
nister Martis (vt ait Euripides) prophani erat: omnino quæ
nulla ei vñquam ob voluptatis studium aut socordiam cla-
des accidit. Antonium verò Cleopatra, quemadmodum
Herculem Omphale pingitur clava spoliare, & leonis pelle

exuere: s^ep numero dearmatum emollitumque permouit, vt magnis rebus, necessariisque expeditionibus omisis, in litoribus circa Canobum & Taphosirin vagareretur atque colluderet. Denique veluti Paris ex p^{ro}elio aufugiens, in eius se gremium recipiebat: nisi quod Paris vi^sus in cubile fugiebat, Antonius Cleopatram persequens certam propositam vi^storiam dimittebat. Ad h^ac Demetrius nulla lege prohibitus, sed Philippi & Alexandri exemplo receptam Macedoniae regibus consuetudinem fecutus, plures vxores duxit, sicut & Lysimachus & Ptolemaeus: omnes autem, quas duxisset, honorifice tractauit. Antonius autem cum duas uxores simul habuit, quod nemo vñquam Romanus ant^e ausus fuerat: tum ciuem, & legitimam coniugem eiecit in gratiam peregrine, & contraluges adscitae. Itaque illi ob nuptias nullum, huic gravissima euererunt mala. Veruntamen ob lacuium nullum tale ab Antonio, quale a Demetrio flagitium est commissum. Nam historici rescrunt, arce Athenensi solitos canes omnino arceri, quod id animal palam coit: Demetrius ipsa in aede Mineruæ virginis cum scortis concubuit, multas ciues Atticas stupravit: & quod extreum potest hisce libidinibus adiungi crudelitatis malum, id cupiditas voluptatum eius admisit, qui passus est, imò autem coegit pulcherrimum & pudicissimum Atheniensium miseranda morte, dum stuprum fugit, perire In summa Antonius se ipsum sua intemperantia, Demetrius alios iniuria affecit. Aduersus parentes nihil quod culpari possit Demetrius egit: Antonius matris fratrem necandum concessit, vt Ciceronis occidendi facultatem redimeret: quod facinus per se scelestum & immane est, adeo quidē vt vix veniam me ruerit Antonius, si nece Ciceronis salutem auunculi representasset. Quod ad penuriam amborum & foedorum violationem attinet, Antonio quod Artabazum cepit, causa fuit haud obscura: fuerat enim ab eo in Media desertus atque proditus: Demetrium plerique falsa crimina ferunt exco gitasse contra Alexandrum, quem interfecisset, & accusasse, quasi eum non affecisset iniuria, sed se, Iesus ab eo, defendisset. Rerum præterea gestarum laus Demetrii propriarum gestarum est: Antonius absens per legatos maximis & pulcherrimis est rum. potitus vi^storiis. Exciderunt autem rebus vterque sua ipsius

Vxores.

Lascivus.

Impietas
in iusos.

Perfidia.

Gloria re
rum gestarum.
 p*per culpa, sed
ambus desertu
re compundas ill
am hic, quod
n. Mortem
rependerendu
st, in que custo
& guz, bellu
te pide quide
pius, quam
subdixit.*

INTE

 1 Ant

 IN Grac
explicat
Critici
10 vocari à be
corum que
& aliis leg
2 Nem
diu rata
cunda han
pater Curia
preferente
contra fun
tatum en
3. bū in junc
ponere. la
estendim
3 Cum
cuiller.
sazet, in

ipius culpa, sed dissimili modo. Demetrius enim à Macedonibus desertus est, Antonius pro se pugnantes deseruit. vt culpandus ille sit, qui suos sibi milites ita infestos fecerit: hic, quod suos ita ipsis fidos & benevolos destituerit. Mortem laudare neutrius possumus. Magis tamen *Mors.* reprehendens Demetrius, qui captiuos fieri sustinuerit, inque custodia habitus triennium lucrari, quod vino & gulæ, belluæ instar, mancipatus exigeret. Antonius trepidè quidem, & miserabiliter, & indecoè, attamen prius, quam corpore ipsius hostis potiretur, sese vitæ subduxit.

INTERPRETIS ANNOTATIONES, in Antonium.

1 Antonius cognomento Creticus.]

IN Græco est Criticus (vt Aretinus reliquit: & Amiatius explicauit iudicariū) κριτικός: sed mendosè pro κριτικός. Critici cognomen ego tribui huic posse non puto: Creticum vocari à bello contra Cretenses gesto arbitror, argumento eorum quæ apud Florum 3.7. in Epitoma Liuiana XC VII. & alibi leguntur.

2 Nempe sexagies festeriūm.] πεντήκοντα καὶ διακοσίων ταλάντων. C CL. talentorum. Cicero Philippica secunda hanc rem ita describit: Recordare tempus illud, cum patr Curio mœstus iacebat in lecto, filius se ad pedes meos prosternens lacrymans te mihi commendabat: orabat, vt te contra suum patrem, si H S sexagies peteret, defendarem. tatum enim pro te intercessisse dicebat. &c. Ciceronis verbis in summa hac exprimēda latine malui vti, quam talenta ponere. Idem verò esse C CL taleta & sexagies festeriūm, ostendimus in vita Cie.

3 Cùm eius triremes multis paruis scaphis arciuissent.] πολλὰ τῶν λ. ακ. τ. τ. ἀπὸ περιστρας. nō περιστρας. Interpres οὐαλλαγώ fecit, non enim Antonij tri-